DE

CHRISTIANO CAPITIS POENAE VEL ADMITTENDAE VEL REPUDIANDAE FUNDAMENTO.

COMMENTATIO

IN

CERTAMINE LITERARIO CIVIUM

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

DIE IV. JUNII MDCCCXXXIV

EX DECRETO

VENERABILIS THEOLOGORUM ORDINIS

PRAEMIO PER REGIS MUNIFICENTIAM ORNATA.

AUCTORE

CAROLO GEORGIO WIESELERO

PALAEOCELLENSI

SEMINARII REGII HOMILETICI ET CATECHETICI SODALI.

Οὐκ ἔστιν ἐξουσία εἰ μὴ ἀπὸ θεοῦ· αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι ἀπὸ τοῦ θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν.

GOTTINGAE, MDCCCXXXV.

APUD VANDENHOECK ET RUPRECHT.

Judicium summe venerabilis Theologorum Ordinis, quod praefigi jussum est.

Qui secundam denique scripsit commentationem, is cum postulatae historiae biblicae notionem per errorem male intelligeret, hanc quidem non omisit, imo explicuit ex parte optime, nec tamen suo loco nec separatim, sed exegeticae quaestionis parti insitam quodammodo occultavit. Redolet omnino commentatio librorum potissimum recentiorum, qui de suppliciis conscripti sunt, laudabilem lectionem, sed notitiae eorum haud satis apte per commentationis decursum distributae sunt. Ad ipsum vero argumentum propositum ita disputavit auctor, ut in disponendis quaestionis partibus judicium atque consilium, in exegetica rei disquisitione doctrinam arte et ingenio conspicuam, in systematica haud vulgarem ad dialecticam dexteritatem, in explicandis denique sententiis orationis dexteritatem in laude ponendam, nobis valde adprobaret. Id vero in argumentatione auctoris recte aestimanda male nos habuit, quod, videlicet propter temporis angustias festinantior, rerum consequentium cum prioribus conjunctionem et comprehensionem in fine commentationis omittens, sententiae suae summam significavit magis, quam diserte expressit. Denique stylus, quamvis aliquem colorem habeat, caret tamen puritate atque ornatu.

His ita expositis, patet, etiam hanc postremam commentationem, quamvis caeteras multis praecellere visa sit, non plane nobis satisfecisse. Attamen ut, non tam morositati quam aequitati obtemperantes, Nostrorum animos atque studia gloriae stimulis concitaremus, ex unanimi consensu decrevimus, commentationem secundam, verbis Pauli: *οὐκ ἔστιν ἐξουσία εἰ μὴ ἀπὸ θεοῦ* distinctam, praemio Regio ornandam esse, hac tamen lege, ut, priusquam prelo subjiciatur, maculae ipsi passim adspersae eluantur.

DAVIDI JULIO POTT

ORDINIS GUELPHORUM EQUITI

THEOLOGIAE AC PHILOSOPHIAE DOCTORI

BRITANNIARUM HANNOVERAEQUE REGI A CONSILIIS ECCLESIASTICIS

MONASTERII MARIAEVALLENSIS IN DUCATU BRUNSVICENSI POSITI ABBATI

THEOLOGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO

SEMINARII REGII HOMILETICI DIRECTORI

SOCIETATIS HISTORICO-THEOLOGICAE LIPSIENSIS SODALI ORD.

ET

GOTHOFR. CHRISTOPH. FRID. LÜCKE

THEOLOGIAE AC PHILOSOPHIAE DOCTORI

BRITANNIARUM HANNOVERAEQUE REGI A CONSILIIS ECCLESIASTICIS

THEOLOGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO

DOCTISSIMO SOCIETATIS EXEGETICAE ET DOGMATICAE MODERATORI

ORDINIS THEOLOGICI H. A. DECANO

NEC NON

JO. CAROLO LUDOVICO GIESELER

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI

THEOLOGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO

SOCIETATI HISTORICO-THEOLOGICAE LIPSIENSI

ITEM GUESTPHALICAE PRO HISTORIA PATRIA INDAGANDA

QUAE MINDAE EST ADSCRIPTO

TRIUMVIRIS DE OMNIBUS SANCTAE THEOLOGIAE DISCIPLINIS MERITISSIMIS

FAUTORIBUS SUMMOPERE VENERANDIS

PRAECEPTORIBUS PIE COLENDIS

HASCE STUDII OPERAEQUE PRIMITIAS

GRATO ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Brevis omnium, quae in hoc libello exponuntur, materiarum conspectus.

PROLEGOMENA.

PARS I.

Continet succinctam historiae biblicae descriptionem.

PARS II.

Continet exegeticam quaestionis nostrae illustrationem.

PARS III.

Continet systematicam quaestionis nostrae demonstrationem.

CONCLUSIO.

Reputanti mihi mecum saepenumero, quid in Germania nuperrimis temporibus cum singulorum hominum tum universarum gentium populorumque animos mentesque occuparet atque in cogitando judicandoque regeret, ante omnia hoc elucere videbatur, quod novissimis illis, quibus a Gallofrancis affecti sumus, rerum cladibus tumultibusque admoniti multo majorem vividioremque et politiae et pietati impenderent curam. Neque vero, licet hic et illic simile quid inveniatur, laudandum est eorum studium, qui politia rerum divinarum cultui posthabita et vice versa, omnem aequabilem humanarum virium conformationem impediunt. Etenim, quum rebus publicis atque externis immoderata et fere unica cura habeatur, ita ut, modo civitatum auctoritas potentiaque augeatur, etiam pietas bonique mores negligi posse videantur, accidere debet, ut populi aut intolerabili tyrannide terreantur aut libidinosae arbitrariaeque libertatis studio ducantur. Contra, qui pietatis naturam in eo consistere putant, quod omnem arctiorem cum civitate communionem tollat neque ea, quae ad vitae usum et cultum pertineant, opes dico, divitias, potentiam vitaeque conservationem ipsam ullo modo a piis expeti sinat, ii per consequentiam in maximos incidunt errores, ut aut omnem vitae communis usum exercitationemve oderint adeoque, quemadmodum monachorum exemplo edocemur, ad perfectiorem virtutem adipiscendam desertis claustrisve sese condant aut summa imperii solis sacerdotibus utpote perfectissimis commissa saevam instituant hierarchiam, in qua rerum capitalium quaesitores, ut qui etiam de fide intimo pectori inhabitanti judicia exerceant, cupiditatibus suis aut fanatico quodam studio ducti innocentes victimas rogo ceterisque mortibus crudelissimis tradere solent. Descripsi equidem, quantum damni afferat

et politiae et pietati, si haec vel illa proprios limites ipsi scriptos prorsus deserat, id quod tamen re vera rarius obvenit, quum humana natura ratioque a summo creatore ita sit dotata, ut homines totos erroribus abripi vix patiatur, sed cum erroribus etiam gravissimis veritatis saltem scintillulas iis impertiat. Quae quum ita sint, etiamsi plerumque civitatem et ecclesiam nulla communione et similitudinis mutuae vinculo contineri omnino negetur, tamen has ambas institutiones divinas ad hominum vitam in hac terra sistendam conformandamque aeque necessarias esse ideoque unam per alteram in obtinendis propriis finibus non coercendam esse haudquaquam pari modo ab omnibus conceditur. Ecclesiae quidem evangelicae post Lutheri ceterorumque reformatorum tempora propriae jurisdictionis potestas demta est; verum in administranda re publica saepenumero viri rerum civilium peritissimi hoc potius quaerebant, quid communi utilitati conduceret, quam ut viderent, num id, quod civitati fructum ferre atque usum videretur, etiam aeternis pietatis moralitatisque legibus approbari posset. Quam ob rem magnum recentioris aevi processum habere cogimur, si nunc, quando de legibus civilibus definiendis promulgandisque disputetur, etiam ab ea parte disputationem institui comperimus, num ea, de qua quaeritur, lex cum moralitatis honestatisque sensu vere conveniat; cujus rei exempla nuperrime vidimus, quum in Saxoniae et Hannoverae conciliis provincialibus de supplicio capitis vel abrogando vel constituendo ageretur. Quo pertinet etiam libellus ille a *Grohmanno* conceptus et legatis jura populi Saxonici tuentibus traditus, qui titulo inscriptus est: *Bitte und Frage zur Abschaffung der Todesstrafe. Dresden 1833.* Praecesserat eum *Hasius* 1), qui in Christianis civitatibus omnes leges criminales Christianismi spiritu esse fundandas recte persuasum sibi habens, quaestionem illam bene et circumspecte et pro more suo nitido comtoque dicendi genere usus tractavit. Materiae autem illius, qua tum temporis fruebatur, summa gravitate perspecta Summe Venerabilis in nostra universitate Gottingensi Theologorum ordo hoc abhinc anno postulaverat, „ut, quum a viris rerum civilium peritissimis passimque in ipsis conventibus provincialibus, hoc potissimum tempore, quaestio ageretur de supplicio sive capitis poena prorsus abroganda, praemissa succincta hujus poenae historia bi-

1) *Vom Justizmorde, ein Votum der Kirche. Leipzig 1826.*

blica, christianum ejus vel admittendae vel repudiandae fundamentum, ab iis, qui talem exercendae justitiae ultricis conversionem aut moliantur aut adspernentur, profecto haud negligendum sedulo nec cupide exploraretur ac dijudicaretur.» Cui quaestioni ad certamen propositae ut satisfacerem, quam et ego operam navarem, ab judicum summa clementia atque humanitate hoc adeptus sum, ut commentatio mea pro eximia regia munificentia praemio exornaretur. Jam vero libellum meum qualemcunque typis excudendum curare jussus nescio quo timore atque metu teneor, ne id, quod lucubrationibus meis curisque effecerim, in vulgus edam, id quod volui ita, ut volui, haudquaquam me esse assecutum bene mihi conscius. Qua de re, si quid peccavero, lectores meos, ut miti clementique judicio usi mihi ut juveni majorem veniam concedant, equidem summo opere rogasse volo. Verum enim vero, si etiam tantillulum ad difficillimam gravissimamque nostram quaestionem rectius enucleandam dijudicandamque me profecisse putabunt, sublimi vertice sidera equidem feriam.

De totius nostrae quaestionis divisione atque ad illam bene intelligendam necessario historiae biblicae usu.

§. 1. Munus autem nostrum ex mandato ita explere debemus, ut succinctam de suppliciis capitis historiam biblicam praemittamus, eum in finem, ut, quid sacrae scripturae historia de morte irroganda nos edoceat, distincte atque accurate experiamur. Quo facto, num supplicio capitis punire ex Christianismi indole sit atque ingenio, omnibus, quae nobis praesto sunt, viribus investigabimus. Atque cum jure quidem suo succincta historiae biblicae enarratio quasi praefationis loco praemitti videtur. Etenim, quum in animum induxerimus, ut quaestionem nostram ex principiis Christianismi decernamus quumque salvatorem nostrum ejusque discipulos ipsorum doctrinam atque adhortationes ad Judaeorum, inter quos vivebant, praeceptiones legesque per V. T. obvias applicuisse easque tum demum, si displicebant, notasse et correxisse pateat, priusquam de iis N. T. locis, qui de poena capitis imponenda agere videantur, videamus et ex iis vel ex principiis Christianismi universis argumentemur, Judaeorum leges supplicium capitale spe-

cilitates earumque indolem atque naturam, ergo hujus supplicii historiam, quam praecipue in V. T. deprehendimus, h. e. historiam biblicam enarremus atque explanemus necesse est, propterea quod inde demum cognoscimus, quid illud sit, quod a Jesu ejusque apostolis aut agnosci aut prorsus rejici aut certe immutari potuerit. Quod interius amborum foederum vinculum in oratione montana contendit Christus et ipse coram iis, qui verebantur, ne totam legem Mosaicam everteret, his verbis usus: *οὐκ ἦλθον τὸν νόμον λῦσαι, ἀλλὰ πληρῶσαι.* Itaque novum foedus per Christum conditum nequaquam eversio nominari potest legis Mosaicae, sed potius *πλήρωσις* h. e. perfectio. Omnes enim institutiones per Mosen et prophetas, viros spiritu sancto afflatos, promulgatae et in unum per V. T. conjunctae ad doctrinam Christianam educant neque tamen ab ea abhorrent, ita ut vere dicere possimus, non solum ex gente Judaeorum prodiisse primam Christianorum ecclesiam, sed etiam ex lege Mosaica doctrinam ipsam. Etenim hoc ipsum in causa erat, cur Christus ex voluntate arbitrioque sapientis dei inter Judaeos quidem nasceretur eosque primos doctrina sua imbueret, quod prae ceteris gentibus ab antiquissimis inde temporibus a deo hic populus electus erat, in quo sedes esset cognitionis ipsius melioris et qui, quum ceteri homines omnes multis diis servirent, unius dei cultu excelleret. Quae quum ita sint, documentorum pietatem cultumque divinum hujus populi continentium inquisitione supersedere non possumus; sed quum complures doctrinae Mosaicae a Jesu aut emendatae et correctae aut prorsus sublatae sint, dubium non est, quin in omni quaestione, qua verae institutionis Christianae argumentum indagare studemus, id, quod ex V. T. eruimus, cum N. T. comparare atque ex hoc corrigere nos oporteat. Quamquam haec historia, quae dicitur, biblica angustis tantum limitibus circumscribenda est, utpote quae nonnisi huic serviat fini, ut ea, quae N. T., Christianae fidei norma atque regula, in commodum nostrae quaestionis praecipiat, rectius et penitius intelligere queamus.

Cujus historiae ut melior et dilucidior fiat conspectus, in tres, quas dicunt, disponere eam liceat periodos, quarum prima spatium inter Adami creationem et legislationem a Mose datam interjacens continebit, altera ab nova illa legum morumque institutione ordiens eo usque temporis procedet, quo ab populo Israelitarum judicum loco reges electi sunt, tertia denique, num et quatenus, regibus imperium tenentibus, leges ad supplicium capitis pertinentes

immutatae sint, quidque novi, donec Christus Bethlehemi sit natus, ad illas accesserit, paucissimis ostendet atque demonstrabit. Quorum tamen periodorum quamque ita describamus, ut luce clarius appareat, in ea quaenam delicta morte punita, per quem poena capitis exacta sit, denique qualis illa fuerit.

Biblicae historiae enarratio.

Prima periodus tempora ab Adami creatione usque ad legislationem Mosaicam amplectens.

§. 2. Primis igitur *primae* periodi temporibus, quemadmodum ex V. T. comperimus, nullae certae leges exstabant, quando morte mulctandum esset, definientes; legum scilicet loco intimi pectoris erat vox, quae, quid faciendum vel refugiendum esset, homines edoceret maleficosque maleficii severissime argueret. Nonne Cainus quamvis scripta quidem lege homicidium nequaquam interdictum esset, quum deus optimus maximus cum eo judicium iniret, gravi plenus poenitentia, se majus, quam quod ignosci posset, delictum admisisse confessus est? Sed ne multo quidem post Adami tempora usquam communibus legibus imperatum videmus, ut delicta quaedam definita poena, nedum capitis poena sequeretur. Verum enim vero non est, quod miremur, si modo partim longum per tempus prorsus nullas civitates, ergo nec leges communes exstitisse partim per V. T. praecipue populi Israelitici historiam ejusque in re et politica et morali profectus, ut qui proprie demum ab Abrahamo ut gentis auctore et conditore incipiant, explanari describique nobiscum reputemus atque consideremus. Itaque, civitatibus non constitutis aut non idoneis auxiliis munitis, is, cui satis opum potentiaeque erat, sicuti placebat, cum eo, qui ipsius iram odiumque facinore quodam in se verterat, agere poterat. Jus penes fortiorem erat. Nulla inter delictum et vindictam intercedebat ratio neque puniendi mensura mentis humanae deliberationibus, sed libidine animique perturbationibus definiebatur. Qui injurias inferebant et cui inferebantur, ambo nullum crudelitatis modum nisi ipsorum voluntatem placitumque agnoscebant. Quam ob rem facinora saevissimam animorum immanitatem redolentia, ex quibus exempli instar facinus illud Gen. 34. commemoratum allegamus, saepenumero tum tempo-

ris admittebantur. Quamquam jam hac ipsa periodo duas leges ab Jehova promulgatas invenimus, quibus eos, qui certa delicta in se admisissent, capitis poena affici jubebat.

Primam [2]) autem legem Gen. 9, 6. reperimus, ubi, foedere cum Noacho icto, Jehova hoc mandatum pronuntiat, ut, qui sanguinem humanum effuderit, ejus sanguis iterum per homines effundatur. Pro homicidio igitur morte luendum erat [3]). Sed ne

2) Mandatum divinum, quod Gen. 9, 4. occurrit quodque carnem cum sanguine mixtam comedi vetat, huc non pertinet, quia l. l. nulla poenae alicujus mentio injicitur. Seriori scilicet tempore tale delictum capitis poena ex legibus mulctari patet (Levit. 7, 27.), sed priusquam talis definitioris circumscriptiorisque in hac causa legislationis desiderium atque necessitas exoriretur, ejus, qui contra illud mandatum ageret, mulctatio ex punientium voluntate arbitrioque pependisse videtur.

3) Praetermittere hic non possumus illam de Caino narratiunculam (Gen. 4, 8—16.), quippe quae ejus, quod modo de homicidii poena diximus, contrarium innuere videatur. Jehova enim Cainum, fratris interfectorem, morte non punit, sed maximis propter illud facinus doloribus cruciatum atque de vita sua paene desperantem, quum vitae conservationem ei promisisset, signo divino, ne quis eum occidat, insignit atque in terram Nod dimittit. Qua historia moti complures poenam capitis ex nutu divino abrogandam esse dixerunt. At quonam jure? Etenim primum deus morte omnino non mulctandum esse non declarat, sed tantummodo Cainum morte liberat. Est igitur non generale, quod dicunt, dei edictum vel tale edictum, quod ad omnes pertineat, ut auctoritatem legis sibi vindicare possit, sed singulare quoddam dei factum. Deinde quisnam est, qui deum, quod homicidium capite puniri nollet, Caino pepercisse confidenter profiteri ausit, quum idem deus sequenti tempore Noacho dixerit, ut, qui sanguinem humanum effudisset, ejus sanguis iterum effunderetur? Sin vero, ut verisimile, res ita se habet, ut Caino ignoverit propterea, quod hic maximam ob peccatum suum poenitentiam sentiret (Gen. 4, 13.), tumne etiam ex hac historia sequitur, in civitatibus supplicia capitis esse abroganda? Suo scilicet jure tantum is hoc contendere posset, qui eandem, qua deus optimus maximus utitur, cordis scientiam possideret atque cognitionem. Denique praeter omnem dubitationem est positum, quin deus eo, quod Cainum poenitentem morte liberaturus, signo securitatis tutelaeque divinae ipsi impresso, in terram נוֹד h. e. exilium misit, asylorum multo tempore post ad imminuendam sanguinis vindictam instituendorum usum consecrare voluerit [cfr. etiam id, quod cl. *Herderus* (*vom Geist der Hebr. Poe-*

hujus quidem legis accuratiorem definitionem deprehendimus, quum nostro loco omnino non disputatum sit, nam is quoque, qui inconsulte nec voluntarie alium occideret, capite mulctandus esset; de qua re in legislatione Mosaica multum disputatum videmus. Deinde (Gen. 17, 14.) Abrahamo ejusque posteris circumcisio imperatur hunc in modum, ut masculi cujusque, cujus praeputium circumcisum non fuerit, anima ex populo suo deleatur h. e. vel lapidibus vel gladio trucidetur [4]).

---

sie. Sect. I. p. 218 etc.) de nostro loco disputavit]. Ex eadem vero causa, qua Cainus, etiam Lamecus (Gen. 4, 23.) a morte liberatus est. Lamecus enim virum occidit, qui ipsum prius vulnerarat. (Nam verba לְפִצְעִי et לְחַבֻּרָתִי, quae Vulgata verbo tenus »in vulnus meum« et »in livorem meum« transvertit, Lutherus Vulgatam false interpretatus »*mir zur Wunde etc.*« vertit, quum tamen »*propter* meum vulnus« significent. De praepos. לְ vide Levit. 19, 8. Jes. 14, 9.) Ille Lamecus igitur, quum se hominem occidisse, sed prius vulneratum, ergo inconsulte dixerit, illud dei effatum, quo ipsum, sicut antea Cainum (Gen. 4, 15.) simili modo solatus erat, consolaretur: »Septuplum ultio dabitur de Caino, de Lameco vero septuagies septies,« ut ne ipsum laederent, mulieribus suis pronuntiavit. Patet occisionem Lameci multo acerbius quam Caini deum se puniturum promisisse idque propterea, quod hic voluntarie, ille in defendendo, ergo inconsulte aliquem interemisset. Atque hac quidem minatione item deus hoc sibi voluit, ut homines arceret, ne sanguinis vindictam quaererent, praesertim in eo, qui sine consilio aliquem occidisset.

4) Quid significet locutio נִכְרְתָה הַנֶּפֶשׁ מֵעַמֶּיהָ ad describendum puniendi modum in Pentateucho frequentissima, accuratius hic explicandum est. Multi enim interpretes, ex communi ceterarum gentium more apud Hebraeos quoque exilii poenam adhibitam esse concludentes, Rabbinos secuti illam in exilium mittere significare censuerunt. Alii contra interdum nec semper capitis poenam intelligunt (*Mich. Mos. Recht.* Tom. V. p. 39 etc.). Nos vero, ne multi simus, quum sub hac similibusque locutionibus *semper* capitis supplicium intelligi sentiamus, hos tantummodo locos, ex quibus haec nostra significatio quam maxime appareat, indicemus. Exod. 31, 14. haec verba leguntur: »Qui sabbatum profanat, morte mulctabitur; nam qui tum laborat, hujus anima delebitur ex populo suo« (cfr. Exod. 35, 2. Num. 15, 32 etc.). H. l. »mori« et »deleri ex populo suo« in parallelismo sibi respondent. Levit. 17, 4. effatum legitur: »Qui sacra non ante domini domicilium faciat, sanguis huic viro imputabitur; nam sanguinem illum effudisse dicetur atque imperabitur, ut talis homo exscinda-

Quibus expositis, quum communes leges easque supplicium capitis statuentes tantummodo duas, nimirum quae de circumcisione et homicidio agerent, exstitisse satis appareat, quoties alia ratione modoque delinquebatur, jus poenae adeoque necis penes gentis vel familiae cujusdam principes sive, quos dicunt, patriar-

---

tur ex populo suo.« Jam vero, quum unicuique, qui sanguinem profuderat, obeundum esse notum sit, nostram, de qua quaerimus, locutionem hic poenam capitis innuere patet. Allegemus deinde locum, qui Levit. 18, 29. legitur; hic omnia facinora antecedentia exstinctione ex gente puniri jubentur. Ex his vero facinoribus plurima secundum alios Pentateuchi locos morte punienda erant, v. c. si quis in dei Moleci honorem liberos igni tradebat (Levit. 20, 2.). Denique pro nostra stat sententia Num. 15, 30., ubi eum, qui consulto leges violet, ex populo delendum esse praedicatur. Quocum loco conferas quaeso Hebr. 10, 28., ubi voluntarium contra legem peccatum morte mulctari dicitur, unde eo, quo epistola ad Hebraeos data scribebatur, tempore locum laudatum de supplicio capitis intelligi patet. Sed ipse illius loci auctor illam poenam innuere voluisse videtur. Etenim versibus statim sequentibus (Num. 15, 32—36.) aliquem, qui sabbatum profanavit, ex voluntate Jehovae interfectum esse commemorat, quam narratiunculam adjunxisse mihi videtur eum in finem, ut exempli causa demonstraretur, quomodo in eos, qui consulto leges contemnerent, animadvertendum esset. Ex his igitur locis conclusionem facimus, illam locutionem solennem, quoties deprehendatur, quum nisi unum in modum propter verborum perspicuitatem intelligi nequeat, *semper* de supplicio capitis esse intelligendam. Jam restat nobis explanare, quid sit illud »exscindi ex populo,« quod tamen explicatu facile esse videtur, si pro verbo מִן etiam verbum מִתּוֹךְ et alia similia inveniri consideramus. Significat igitur exscindi ita, ut aliquis in futurum in populi coetu non degat neque eum infamia afficiat; nam scelestos homines totum populum terramque summo dedecore afficere Hebraei credebant. (Num. 35, 33. 34.). Quod vero per vetustiores Pentateuchi libros locutio verbo נִכְרַת formata significat, id in quinto libro formula בִּעַרְתָּ הָרָע מִקִּרְבֶּךָ exprimit (Deut. 13, 6 etc.). Ceterum poena exilii, de qua multi locutionem nostram interpretati sunt, Esrae demum temporibus post captivitatem Babylonicam constituta est (Esr. 7, 26. 10, 8., ubi hujus poenae vox solennis est שְׁרֹשׁ nec vero כָּרַת vel בָּעַר), id quod, quamvis omnes fere ceteri populi exilii poenam adhibuerint, nobis offensioni esse non potest, quum bene sciamus, quanto metu agitati sint Judaei, ne mixtio fieret cum paganis.

chas fuisse invenimus. Cujus rei exemplum nobis est illud ipsum, quod modo laudavimus, Jehovae mandatum. Etenim, nisi Abrahamus jus necis in familia et stirpe sua exercuisset, quomodo illa lex divina, quae unumquemque virum ex gente Israelitica praeputio utentem interfici jubebat, dari poterat? An forte aliorum populorum principes regesque pro suo rerum divinarum diverso cultu talem morem praeceptionemque non agnoscentes capitis poenam Abrahami loco executos esse putas? Verum praeter hoc exemplum in principe Juda aliud invenimus, quum Gen. 38, 24. Thamarem nurum suam comburi jubeat. Judas enim ille, quum secundum ipsius arbitrium nurum, utpote ad familiam suam adscriptam, capitis damnare posset, ex illius aetatis more atque consuetudine in familia sua vitae necisque jure frui debebat (cfr. *Mich*. l. l. tom. I. p. 135. 136.). Atque tantum quidem abest, ut tanta patrumfamiliarum potestas tantaque auctoritas a primo generis humani statu abhorreat, ut potius in antiquissimarum gentium simplicitate morumque innocentia et familiae, quae ab aliorum impetu et vi solummodo a patrefamiliae defendebatur, sorte periculosissima nihil aliud cogitari possit. Ex quo patet, licet singulorum tantum delictorum certae poenae legibus constitutae essent, ea tamen, ac si leges exstitissent, esse punita. Atque de delictis quidem supplicium capitis attingentibus satis dictum est.

§. 3. *Cuinam* alicujus mors ulciscenda esset, per hanc primam periodum certe in sacrae scripturae libris parum accurate edictum est, neque vero vindicta ad eum *solum*, qui cum illo, qui periit, proximo cognationis vinculo conjunctus erat, pertinuisse videtur. Etenim Gen. 9, 6., quem locum jam supra laudavimus, in universum mandatur, ut, qui sanguinem humanum profuderit, iterum per hominem pereat, neque tamen, ille homo quis esse debeat, satius explicatur. Qui locus lucem accipere videtur ex Gen. 4, 14., ubi Cainus necis terrore metuque perculsus *unumquemque*, qui ipsum deprehenderit (כָּל מֹצְאִי), sibi mortem illaturum dicit [5]).

---

5) Huc etiam trahenda esse videtur illa de Sichemitarum internecione historia Gen. 34. tradita. Etenim cruentam illam vindictam neque ab uno, sed a duobus, nimirum a Simeone et Levi, neque ab eo, qui cum Dina proxime cognatus erat, h. e. aut a patre aut a primogenito ejus filio, sed a fratribus natu minoribus sumtam esse accipimus. Quam ob rem, etiamsi vindicum *numerus* explicari possit inde, quod cum omnibus hostilis urbis incolis

Qua de re antiquissimis temporibus sanguinis vindictam non ad unum, nimirum proxime cognatum, quem morem serius obtinuisse infra videbimus, sed ad complures, fortasse ad omnes propinquos pertinuisse satis patet; qui ulterior mos mirum in modum cum ingenio naturaque consentit antiquitatis, in qua gentes familiaeque unum quasi corpus sistebant, cujus caput erat paterfamilias, hunc in modum, ut, si cui ad familiam adscripto injuria inferretur, ad unum omnes ad vindictam sumendam parati essent. Sequentibus autem temporibus, quum illud familiarum gentiumque vinculum eorum, qui eas efficiebant, numero atque multitudine sensim sensimque solutius redderetur, quumque ii, qui mortem intulerant, efflorescente populorum mercatura atque communione, in terras remotissimas, vindictae metu compulsi, nonnunquam se conferrent, saepenumero evenire debebat, ut interfectores impuniti manerent. Itaque, quum occisi umbra non prius, quam ejus, qui occiderat, ultio facta esset, quiete atque tranquillitate fructura esse vulgo crederetur, ut vindicta haud dubie peteretur, mox ad eum, qui propinquitate ab illo, cujus mors ulciscenda erat, proxime aberat, injuriam illatam ulciscendi transiit officium, cui, si res postulabat, totam adeo vitam, dedecoris ignominiaeque fortunam vitaturus, dicare debebat. Sic temporis demum progressu vindicis sanguinis, quem sacra scriptura גֹּאֵל vocat, exstiterunt officia, sed tamen multo ante, quam Moses inter Judaeos vivebat, cui quidem jam legislatione sua id moliendum erat, ut illius vindicis jura, quippe quibus cuncta societatis humanae securitas evanescere inciperet, angustioribus finibus circumscriberentur. De iis vero, qui neminem occiderant quique ex jure talionis non gladio occidendi erant, supplicium capitis *semper*, ut infra videbimus, per complures sumebatur.

§. 4. Denique, ut propositum est, de poenarum capitis hac periodo obviarum *natura* atque *qualitate* aliquid adjiciam. Duo vel fortasse tria poenarum capitalium genera occurrunt. Primum enim *gladio* vel *cultro* is, qui aliquem occiderat, occidebatur a vindice sanguinis, qui his instrumentis armatus ad vindictam sumendam exire solebat. Quod poenarum genus pro fundamento

---

certandum erat, quum ultio illa nec ab Jacobo nec ab Rubeno profecta sit, eam etiam eo tempore non solum ad proxime cognatum, sed in universum ad totam familiam pertinuisse merito concludere equidem mihi videor.

suo habet Gen. 9, 6., ubi ejus, qui sanguinem humanum profuderit, sanguinem iterum profundi jubetur. Hunc enim non alia ratione nisi acutis armis v. c. gladio vel cultro profundi posse quispiam facile videt. Illos igitur sanguinis vindices, summo odio iraque inflammatos, interfectorem esse aggressos eique, ubicunque deprehenderent, non, ut nostris temporibus per carnifices fit, confestim caput abscidisse, sed qua via possent aut vellent, iteratis tantum plagis vitam eripuisse quum consideremus: talem interfectionem plerumque saevissimam crudelitatem immanitatemque redoluisse apparet. Alterum deinde genus est *lapidatio*, quae poena distincte nominatur Exod. 19, 13., ex quo loco hoc quoque patet, eo tempore occisionem per gladium effectam et lapidationem usitatissimas et, ut ex jure Mosaico elucet, unicas fuisse poenas. Quam ob rem, quum Gen. 17, 14. omnem masculum, qui circumcisus non sit, ex populo suo exscindi h. e. interfici jubeatur, quumque, qui praeputio contra leges utebatur, sanguinem non profudisset, ita ut ex jure talionis ejus *sanguis* iterum profundendus esset, illo loco lapidationem intelligi veri est simillimum. Sed quum, ea quomodo illis, de quibus nunc loquimur, temporibus facta sit, in sacra scriptura non delineatum inveniamus, hic de ejus ratione modoque taceamus. Tertium denique poenae capitalis genus occurrere videtur Gen. 38, 24., ubi Judas mandat, ut Thamar, nurus sua, comburatur. At quaestio est, num illud edictum hoc sibi velit, ut Thamar *viva* igni pereat. Mulier autem illa etiam ex jure Mosaico morte mulctanda erat idque non propterea, quod fornicata esset, sed quia, licet Onano leviro (Gen. 38, 9.) devota esset [6]), quaestum meretricium fecerat. Verum ex jure quidem Mosaico poena lapidationis tale delictum sequebatur nec cremationis, quae tamen poena hic minus offendere videtur, si modo patrem Judam propter dedecus suae ipsius familiae inditum summopere irascentem eam dictitasse consideremus. In illa igitur quaestione decernenda dignus est locus Jos. 7, 15. obvius, qui allegetur. Ibi enim licet nude imperetur, ut, qui templum Jehovae violaverit, igni comburatur, tamen Achanum, hujus sceleris convictum, prius per lapides interfectum et tum demum igni combustum esse (v. 25.) narratur.

6) Quae enim mulier leviro devota in stupro deprehendebatur, moechae loco habebatur (Deuter. 25, 5.) ideoque morte puniebatur (Levit. 20, 10.).

Ex qua narratiuncula si quis in nostram rem conclusionem aliquam facere velit, objicere ei quispiam possit: ex eo, quod apud Canaanitas, inter quos Judas vivebat, mos obtinuerit, ut in honorem dei Moleci infantes igni comburerentur (Levit. 18, 21. Deuter. 12, 31.), luculenter apparere, homines vivos in terra Canaanitica saepenumero esse combustos; Judam igitur, illorum mores imitatum, Thamarem *vivam* rogi damnasse. Quamquam equidem illos etiam infantes, priusquam igni traderentur, respondeo esse interfectos. Etenim, quum illi victimae loco darentur, quemadmodum hostia prius mactabatur, quam sacrae ejus partes igni comburendae traderentur, ita et illos prius mactatos et deinde combustos esse cum jure nostro conjicere possumus. Quam meam conjecturam veritatem attingere docent Ezech. 16, 21., ubi dicitur hoc: »*mactasti* filios meos et dedisti, eos consecrans, iis (nimirum falsis idolis)« et Ps. 106, 37. 38., quibuscum locis compares quaeso pulcram de Abrahamo historiam Gen. 22, 10. traditam, ubi Abrahamum Isaacum filium, quem exdei mandato immolaturus erat, prius, quam igni combureret, cultro occidere voluisse distinctis verbis legimus. Quibus omnibus perpensis, ego nullus dubito, quin Judas ille, utpote unus ex illius Abrahami posteris, Thamarem non vivam sed vel cultro vel lapidibus interfectam comburi jusserit. Quae quum ita sint, cremationis illius mandatum novum poenarum capitalium genus nequaquam sistere potest, quum Thamar, si Judae intentio ad exitum perducta esset, non igni, sed *alia via periisset* et exanimis corporis crematio tantum ad ignominiam augendam addita esset, quasi ne ossa quidem ipsius digna essent, quae in hac terra conspicerentur. Atque haec hactenus de illius temporis spatio, quod inter Adami creationem et Mosaicam legislationem interjacet.

Secunda historiae biblicae periodus spatium a legislatione Mosaica usque ad regum electionem continens.

§. 5. Transgredimur ad secundam periodum, quam spatium a legislatione per Mosen data usque ad regum electionem continere diximus [7]). Atque primum quidem de delictis, propter quae

7) Notum mihi quidem est, recentioris criseos indagationibus et progressibus hoc esse effectum, ut Pentateuchi partem Deut. 1—32, 47. continentem ex omnibus Pentateuchi partibus novissimam ha-

capitis poena imponebatur, videamus. Quem locum ut propter summum ipsius ambitum normae cuidam adaetum exponam, tria circiter suppliciorum genera distinguamus necesse est, nimirum supplicia, quae injungebantur iis, qui homicidium perpetrabant, supplicia eorum, quae ad libidines naturae repugnantes spectant, criminum removendorum causa constituta, supplicia denique, quae theocratiae Judaicae majestatem violantibus imponebantur.

Ex communi antiquarum gentium jure talionis Moses hanc legem petiit, ut sanguis pro sanguine postularetur (Gen. 21, 12.), ea tamen circumscriptione, ut supplicium capitis non adhiberetur, nisi homicidium, de quo quaerebatur, consulto admissum erat (Gen. 21, 13.). Eo usque severitatis atque obligationis haec lex de homicidio data processit, ut etiam bos, qui hominem aliquem cornibus occidisset, et si conscio domino homines aggredi soleret, dominus [8]) cum bove interficerentur (Gen. 21, 28. 29.). Quid autem? etiamsi cadaver humanum inventum erat, quin interfector exquiri posset, ejus, in qua detectum erat, dioeceseos principes convocabantur convocatisque victima erat immolanda, taurus vel vacca, dum preces fundebant, ut scelestus iste homo pari modo sanguinem profunderet atque animal immolatum, in qua detestatione dictu dignum videtur, victimae sanguinem aquae fluminis esse commixtum, ut, quomodo victimae sanguis per totum mundum undis ferretur, ita hominis trucidati sanguis scelestum interfectorem, quasi vindictam a justo deo petens, ubique persequeretur (Deut. 21, 1—9.). Poena deinde, quae ei imponebatur, qui homicidium perpetrabat, eum quoque sequebatur, qui hominem rapuerat; etenim hominum raptus et interfectio idem putabatur

bendam, Josia regnante circiter ann. 650. in templo inventam (2 Reg. 22. 23.), ergo fortasse circa ann. 700. conscriptam ceterisque Pentateuchi libris tum temporis esse insertam appareat. Attamen, quum partim prioris legislationis repetitionem partim ejus in singulis progressum atque conformationem, quam tamen auctor non ex suo ingenio, sed ex antecedentium saeculorum usu atque consuetudine (id quod hujus loci non est demonstrare), depromsisse videtur, procul dubio contineat, etiam hanc Pentateuchi partem ad declaranda atque comprobanda hujus secundae periodi supplicia facere equidem putavi.

8) Quod quum accidisset, si adversarii pactionem inire vellent, vitam suam pecunia redimere (Gen. 21, 30.) domino licebat, id quod alias licitum non erat (Num. 35, 31.).

(Deut. 24, 7.). Cujus legis unica erat exceptio, si quis servum non ex Hebraeis oriundum interfecerat, quippe qui rei loco haberetur, cujus tantum pretium solvendum erat (Exod. 21, 20. 21. 32.).

Jam vero vitia naturae repugnantia commemoranda sunt, quae si admittebantur, poena capitis mulctabantur. Hinc stant omnes voluptates naturae humanae non consentaneae v. c. cum animalibus exercitae (Lev. 20, 15. 16.). Si quis cum libera muliere adulterium committebat, ambo, moechus et mulier, capitis damnabantur (Levit. 20, 10. Deut. 22, 22.). Viro devota mulieris loco habebatur (Deut. 22, 23—27.). Si, priusquam matrimonium iniret, vir sponsam virginem non esse animadvertebat, ea ante patris, quem dedecorabat, domicilium per lapides interficiebatur (Deut. 22, 20. 21.). Sacerdotis filiae, quippe quae stupro patris sui sacerdotium profanaret, obeundum erat (Levit. 21, 9.). Concubitu cum menstruata inito, ambo, vir et mulier, morte mulctabantur (Levit. 20, 18.). Omnia vitia, quae ad dedecus sanguineum, quod dicunt, spectant, poena capitis afficiebantur (Levit. 20, 11. 12. 17.), nec non liberorum inobedientia adversus parentes, quae eo usque procedebat, ut eos baculis contunderent vel detestationibus persequerentur (Exod. 21, 15. 17. Lev. 20, 9. Deut. 21, 18—21.).

Tertium denique suppliciorum genus efficiunt omnes hae poenae, quae ad majestatem theocratiae conservandam imponebantur. Hae autem poenae capitales erant propterea, quia vitia, quae theocratiae Judaicae honorem diminuebant, contra Jehovam ipsum, quem hujus civitatis conditorem atque rectorem colebant, admittebantur. Capitis igitur damnabatur, si quis blasphemationes contra Jehovam edebat (Levit. 20, 10—14.), porro si quis consulto caerimonias sacras contemnebat et omittebat (Num. 15, 30. 31.), quo pertinent dierum festorum celebrationes (Num. 9, 13.), circumcisio (Gen. 17, 14.), sabbati aestimatio (Exod. 31, 14—16. 35, 2. Num. 15, 32—36.). Nec deinde impurum carnem victimae edere (Levit. 7, 21.) aut templum visitare licebat (Num. 19, 20.); nec fas erat quemquam victimae adipe Jehovae soli destinato frui aut omnino sanguine (Levit. 7, 23—27.) nec fumationes sacras imitari licebat (Exod. 30, 38.). Porro omnis idololatria, quippe quae theocratiam prorsus everteret, capitis supplicio afficiebatur (Deut. 17, 2—5.). Prophetis perfidis (Deut. 18, 20.) veneficisque (Exod. 22, 18.) obeundum erat. Inobedientia deni-

que adversus sacerdotes et judices 9) morte mulctabatur (Deut. 17, 12.). Atque haec quidem hactenus.

§. 6. Sequitur, ut de eo disseratur, quid Moses de iis, *quorum* erat poenarum capitis *exsecutio*, definierit. Jam quum antecedentem periodum delinearemus, in legislatione Mosaica opus fuisse monuimus, ut propter punientium odium acerbissimum continuasque rixas, quae, quum a patre ad filium, a filio ad nepotem atque ita in infinitum ab uno ad alterum transirent, totas familias everterent, vindicum sanguinis jura arctioribus finibus includerentur: id igitur quomodo factum sit, nunc accuratius videamus. Summa autem prudentia atque circumspectione Moses, quum vindictam sanguinis, qua omissa fama ejus, qui omittebat, atque honos ex hominum illo tempore viventium quodam praejudicio summo opere prostitueretur, nondum prorsus tolli posse intelligeret, sex asyla condidit. Quo qui confugiebat, ab insidiis illius vindicis tutus manere poterat, si, ipsius causa coram judicibus in disceptationem vocata, temere atque inconsiderate eum mortem intulisse apparebat (Num. 35, 15. 24. 25.). Sin vero convictus erat, quod considerate et per insidias aliquem interemisset, in manus tradebatur vindicis (Num. 35, 20. 21.). Neque vero asyli illius, in quod perfugerat, fines deserere illi licebat, nisi forte pontifex maximus mortem obiit; quo facto, qui se invitis homicidium perpetraverant, impuniti neque ulteriorem vindictam timentes domum redire poterant (Num. 35, 25.). Quodsi prius perfugium suum relinquebant, vindex sanguinis cum jure suo neque legibus civilibus impeditus eos, quocunque deprehendebat loco, trucidare poterat (Num. 35, 27. 28.). Ita res se habebat, si quis vindicis sanguinis opera *telis* occidendus erat. Si autem quis per lapides mortem oppetere debebat, ii, qui coram judicio testificati 10) erant,

9) Quinam autem illi judices fuerint, optime nos edocent hi loci: Num. 11, 16. 25. 26. Exod. 18, 21. 25.

10) Si quis capitis accusabatur, duo saltem vel tres testes judicio interesse debebant, qui contra maleficum testarentur (Num. 35, 30. Deut. 17, 6.). Ut autem illi vera nec malitiosa ederent testimonia, a legislatoribus, quippe qui eosdem, qui falsa ore professi essent, ea *manu* vix approbaturos crederent, mandatum est, ut testes illi *primum* lapidem jacerent. Cui eidem fini inservit etiam haec lex, ex qua multa cum prudentia edictum erat, ut testes falsarii idem paterentur, quod ii, de quibus testimonium dicebant, si votorum fuissent damnati, ex legibus perpessi essent.

primum lapidem in maleficos conjiciebant, quos tum demum totus, qui internecioni intererat, populus sequebatur (Deut. 13, 9. 10. 17, 7.).

§. 7. Restat, ut de poenarum capitis hac periodo usitatarum *genere* atque *natura* aliquid addamus. Qua cum crudelitate atque saevitia vindex sanguinis vindictam sumere potuerit et fere semper sumere sit solitus, nisi forte natura miti comique et ab immanitate abhorrenti fuerit, id jam supra paucis indicavimus. Hoc adeo in causa fuit, cur distinctae darentur leges, qua ratione sontes trucidandi essent. Etenim quum prius a vindicis nutu arbitrioque penderet, quo temporis spatio interjecto quaque ratione occideret, nunc mandatum est, ut eodem quo occiderat ille modo eum interficeret (Num. 35, 19.). Unde facile colligitur, quum vix idque in unaquaque re accurate definiri posset, qua ratione quosve dolores perpessus is, cujus sanguis vindicandus erat, a manu alterius mortem occubuisset, etiam hac lege data, vindicem sanguinis in exsequendo supplicio ad arbitrium quidem suum potuisse agere, sed tamen ejus dissolutiorem vindictae sumendae cupiditatem illa lege esse exclusam. Ceterum hac quoque periodo illi vindices non ex more carnificum nostrorum malefici caput desecuisse vix est, quod moneam. Alterum deinde poenarum capitalium genus fuit lapidatio, quae fere aeque dura erat atque illa, quae gladio ab vindice sanguinis efficiebatur, interfectio. Etenim quamvis eum, cui per lapides obeundum erat, palo cuidam adligatum esse veri sit simillimum, tamen facile fieri poterat, ut miser ille, multis etiam contusus lapidibus, post aliquantum demum temporis summis cum doloribus vitam exhalaret. Praeter haec, quae modo monui, duo genera, h. e. praeter lapidationem et quae gladio cultrove fiebat, interfectionem, nullum aliud supplicium extremum sumendi genus per leges Mosaicas commemoratur.

Ad *infamiam* autem ejus, qui aut gladio aut lapidibus occisus erat, augendam cumulandamque haec tria poenarum genera addebantur, ut malefici cadaver [11]) aut combureretur (Jos. 7, 15. 25.

---

11) False interpretatus est Josephus Levit. 21, 9., quum ex illo loco hanc concludat legem (Antiq. ed. *Richt*. IV. 8, 23.): *ἂν δ᾽ ἐκ ἱερέων ᾖ γεγεννημένη* (scil. virgo cuidem nuptura, quae convicta est, quod fornicata sit), *καιέσθω ζῶσα*. Josephum autem duplex aliquid loco nostro inferre patet. Etenim primum sacerdotis filiam, quae igni digna sit, alicujus *sponsam* esse dicit, eo opinionis haud

Levit. 20, 14. 21, 9.) aut in latibulo suspenderetur [12]) (Deut. 21, 22. Jos. 10, 26. 8, 24. 29.) aut cadaver ita combustum (Jos. 7, 26.) vel in latibulo suspensum (Jos. 8, 29.) in sempiternam rei flagitiosae memoriam magno lapidum tumulo tegeretur. Atque haec quidem satis superque de secunda, in quam historiam de poenis capitis biblicam descripsimus, periodo.

Tertia historiae biblicae periodus spatium ab regum electione usque ad Christi Nazareni tempora continens.

§. 8. Jam vero tertia nobis, quippe quae tempora inter regum electionem et Jesu Christi mortem interjacentia contineat, paucissimis sane describenda est periodus. Etenim Mosaica legislatione accuratius exposita, quum Judaeos illas quidem leges summo obsequio [13]) maximaque anxietate [14]) semper aut amplexos

---

dubie adductus, quia munus meretricium, quod sacerdotis filia viro non devota suscepisset, tam crudeli morte puniendum non esse credebat. Deinde hoc sibi sumit, illam, tanto delicto implicitam, comburendam esse *vivam* (ζῶσαν), quod vocabulum Josephus facile subintelligere poterat, quoniam ipsius tempore, ut infra videbimus, hominum crematio vivorum saepenumero exercebatur.

12) Hac poena infamiae summa continebatur; rebantur enim Judaei, eum, qui penderet in ligno, a deo esse devotum (Deut. 21, 23.). Qua de re talem maleficum, ne terram Jehovae sacram inquinaret, sub vesperem a ligno demitti atque sepeliri oportebat (Jos. 8, 29. 10, 27.).

13) Cfr. id, quod Josephus (Antiq. III. 8, 10.) dicit: Μωυσῆς δὲ οὐκέτ' ἀναβαίνων ἐπὶ τὸ Σιναῖον ὄρος, ἀλλ' εἰς τὴν σκηνὴν εἰςιὼν, ἀνεμάνθανε παρὰ τοῦ θεοῦ περί τε τῶν πρακτέων καὶ τῶν νόμων τῆς συντάξεως, οὓς, κρείττονας ἢ κατὰ σύνεσιν ἀνθρωπίνην ὄντας, εἰς τὸν ἅπαντα βεβαίως αἰῶνα συνέβη φυλαχθῆναι, δωρεὰν εἶναι δόξαντας τοῦ θεοῦ, ὡς μήτ' ἐν εἰρήνῃ ὑπὸ τρυφῆς, μήτ' ἐν πολέμῳ κατ' ἀνάγκην Ἑβραίους παραβῆναί τινα τῶν νόμων. Qui tamen ipse accuratius inspicere velit, quod inter Mosis legislationem et illam Josephi temporibus usitatam interfuerit discrimen, is praecipue Josephi Ant. III. 10, 11. perlegat; quo facto, si mendas in interpretatione legis Mosaicae admissas excipias, nonnullas tantum priorum legum invenias commutationes atque conformationes, quippe quae, seriorum temporum necessitudinibus exactae, maximam partem cum Mosaicae legis indole conveniant.

14) Cujus anxietatis exempla adjiciam nonnulla. Dixi, quum Mosaicae legislationis argumentum illustrarem, eum, qui Sabbatum profa-

esse aut certe voluisse amplecti appareat, tantum nonnulla, quae, quum accesserint, summi fuerint momenti, adjicere nos oportet. Discrimen vero hujus periodi atque antecedentium maximam partem in eo consistit, quod in illis quidem Judaeorum populus primo a patriarchis singulisque gentis principibus, deinde per judices sacerdotesque regnabatur, in hac vero sub regum ditione imperioque tenebatur. Qua de re, quum leges Mosaicas religiosissime semper observatas esse verbis modo dictis satis illustraverimus, tantum illas videbimus institutiones legesque, quas ad regum jura circumscribenda latas esse comperimus.

Accessit autem lex de delicto laesae majestatis data. Etenim, quum in lege Mosaica Israelitarum adversus reges conditio descripta non sit ideo, quia reges eo tempore nondum existebant, regibus electis illa quidem conditio talis erat, ut hi semper ita haberentur, ac si Jehovae nomine regnarent; ergo ut delicta contra regiam dignitatem commissa aeque atque illa, quae ad Jehovam ipsum spectabant, punirentur. Sed singulos locos hanc rem attingentes inspiciamus. Primum omnes ii loci, quibus Davidem Saulo regi, infestissimo inimico, pepercisse narratur (1. Sam. 24, 4—15. 26, 6—10.), regis interfectionem summum fuisse delictum docent. Deinde Abisai, quum Simei Davidi regi maledixisset, eum morte puniri vult (2. Sam. 19, 21. 22.). Denique illum, qui Saulum Jonathamque in proelio interemerat, juvenem ex Davidis edicto gladio [15] occisum esse (2. Sam. 1, 14—16.) atque Nabothum, quod maledicta in regem contulisset, per lapides

---

naret, morte mulctandum esse idque lapidatione (Num. 15, 32—36.). In quod delictum ne inciderent, summopere veriti, legibus definierunt, quantum spatii sabbati die peragrare possent (Act. 1, 12. Luc. 24, 13.), neque prorsus quidquam eo die agendum esse contenderunt. Inde Pharisaeos saepenumero Christi accusandi causam petiisse legimus, v. c. quum discipuli fame cruciati inter ambulandum spicas evellerent (Marc. 2, 23. 24.), id quod in universum licitum erat (Deut. 24, 19.) nec tamen sabbati die; item quum Christus illo die aegrotis mederetur (Marc. 3, 2. 6.) etc. Notissimum vero illius anxietatis est documentum, quod is, qui poenas dare debebat, ne forte unam praeter legem plagam acciperet, quum (Deut. 25, 3.) *quadraginta* verbare imponere liceret, semper undequadraginta verbera accepisse traditur, id quod sibi vult locutio τεσσαράκοντα παρὰ μίαν λαβεῖν 2. Cor. 11, 24. obvia.

15) Qua cum historia compara 1. Reg. 2, 8. 9. 44. 2, 22—24.

perisse (1. Reg. 21, 10.) legimus. Quibus perpensis, ei, qui perduellionis erat convictus, sive per gladium sive per lapides obeundum fuisse satis superque patet. Atque haec quidem sunt, quae de delictis poena capitis puniendis adjicienda mihi videntur.

§. 9. Eorum vero, per quos poena capitis exigebatur, ratione habita, in hac periodo prorsus nova reperitur institutio. Illa scilicet lapidatio etiam tum per totum populum [16]) fiebat (1. Reg. 21, 12.); sed in locum vindicum sanguinis sensim sensimque alii supplicii perpetratores succedebant. Apud orientis enim populos inde ab antiquissimis temporibus mos obtinuit, ut rex cohorte, ut Romano verbo utar, praetoria se cingeret, qua et vitam imperiumque suum contra indigenarum impetus atque insidias defenderet, suppliciumque capitis simul exsequeretur. Josepho, Jacobi filio, in Aegypto commorante, talis cohortis dux, qui lictorum [17]) vel carnificum praefectus nominatur, ibi jam exstitisse fertur (Gen. 37, 36. 39, 1. 20.). Praeterquam vero, quod illa cohors praetoria in Aegypto jam antiquissimis temporibus invenitur, Assyriorum quoque reges ea esse usos scimus (Dan. 2, 14. [18]) Jerem. 52, 12—16., ubi ille lictorum princeps nomine רַב הַטַּבָּחִים obvenit). Atque inter Judaeorum quidem reges etiam Saulum, primum regem (1. Sam. 22, 17.) talem imperii vitaeque suae cu-

16) Cfr. Act. 7, 58., ubi Stephanum, quippe qui blasphemationes contra deum edidisset (blasphemationem autem delictum capitale fuisse jam supra vidimus Levit. 20, 10—14.), extra urbis moenia portatum per lapides mortem obiisse narratur. Quam tamen lapidationem per tumultum factam esse paucis hic moneamus, quum Judaei, Romanorum imperio subjecti, etiam synedrio convocato, nisi annuente eo, qui Judaeam regebat, procuratore Romano, supplicium capitis constituere non possent (Joh. 18, 31. et Antiq. XX. 9, 1.).

17) Hebraicum nomen est: שַׂר הַטַּבָּחִים h. e. princeps eorum, qui mactant vel occidunt sc. homines. Cujus nominis cum interpretatione non pugnat Vulgatae versio: »magister equitum« (Gen. 37, 36.), si sensum quidem spectamus, quoniam ille non tantum summi carnificis, sed etiam ducis praetorianorum fungebatur munere. Sed false Lutherus, qui reddit: »Hofmeister.«

18) Hunc locum Josephus (Antiq. X. 10, 3.) ita explicat: Δανιῆλος δ' ἀκούσας, ὅτι προσέταξε πάντας τοὺς σοφοὺς ὁ βασιλεὺς ἀποθανεῖν, ἐν τούτοις δὲ καὶ αὐτὸν μετὰ τῶν συγγενῶν κινδυνεύειν πρόσεισιν Ἀριόχῳ, τῷ τὴν ἐπὶ τῶν σωματοφυλάκων τοῦ βασιλέως ἀρχὴν πεπιστευμένῳ.

stodiam talesque supplicii summi habuisse perpetratores, deinde Davidem et sequentes reges (2. Sam. 1, 14—16. 1. Reg. 2, 25. 28—34. 46. [19]) 2. Reg. 11, 4.) in sacra scriptura legimus. Illam vero cohortem praetoriam per V. T. vocant Judaei aut הָרָצִים [20]) (1. Sam. 22, 17. 2. Reg. 10, 25. 11, 6.) aut כְּרֵתִי וּפְלֵתִי [21]) (2. Sam. 8, 18. 20, 23. 1. Paralip. 18, 7.) aut הַכָּרִי וְהָרָצִים [22]) (2. Reg. 11, 4. 19.). In V. T. *σπεκουλάτωρες* h. e. spicula sive lanceas gerentes praetoriani illi nominantur, ex quibus

---

19) Quem locum idem Josephus (Ant. VIII. 1, 3.) h. m. reddidit: *Καὶ μεταπεμψάμενος Βεναίαν τὸν ἐπὶ τῶν σωματοφυλάκων ἀποκτεῖναι προςέταξεν αὐτῷ τὸν ἀδελφὸν Ἀδωνίαν.*

20) הָרָצִים h. e. ii, qui currunt. Apud Judaeos, ut qui cultu moribusque simpliciores essent, neque equorum mulorumve magnam haberent copiam, primis certe temporibus illos cursores (רָצִים) pedum velocitate ad mandata regia celeriter exsequenda usos fuisse equidem conjicio; hoc enim ipsa, quae verbo רוּץ inest, inculcat notio. Apud Persas vero eosdem mulis inequitasse (Esth. 8, 13.) legimus, quemadmodum Romuli satellites, quibus nomen erat »celeribus,« equis esse usos notum est. Deinde hos Sauli satellites ex ipso Judaeorum populo esse electos inde concludo, quia ex regis jussu levitas et sacerdotes, ut qui tantum Israelitis ipsis tam sacrosancti esse possent, ex medio tollere nolebant (1. Sam. 22, 17.).

21) De notione horum verborum multum disputatum est (cfr. *J. D. Michaelis Mos. Recht.* tom. V. §. 232.). Mihi quidem ad veritatem hoc maxime accedere videtur. Sub Sauli imperio ex ipsis Judaeis cohortem illam praetoriam delectam esse modo vidimus; Davidem contra, ut et vita sua tutior esset neque imperium ab ipso populo, rebus novis saepenumero studenti, penderet, regum vicinorum more commotum militum ex alienis populis paratorum corona corpus suum stipasse credimus. Quo facto, una cum re etiam nomen commutatum est. Dicuntur enim illius satellites כְּרֵתִי h. e. sicut vertunt LXX. et Syrus, ex insula Creta oriundi, quos in Philistaeam migrasse ejusque terrae partem meridionalem habitasse (1. Sam. 30, 14. Ezech. 25, 16. Zeph. 2, 5.) veri est simillimum, et פְּלֵתִי h. e. in universum Philistaei. Davidem autem, quum Philistaeos, servos sibi vi belloque factos, quippe qui maximo et inveterato in Judaeos flagrarent odio, ad custodiam suam poenarumque capitis executionem elegerit, ea re sibi potentiaeque suae bene consuluisse quis non videt?

22) הַכָּרִי h. e. Carii, qui propter corporum magnitudinem animorumque fortitudinem, ut mancipiorum muneribus fungerentur, saepenumero atque libenter emebantur.

unum Herodis Antipae, regis Galilaeae, jussu atque nutu, Johannem baptistam interemisse Marcus evangelista (Marc. 6, 27.) [23] narrat. Atque haec quidem de iis, quorum opera supplicia sumebantur, satis superque dicta esse mihi videntur.

§. 10. Reliquum est, ut ea, quae in hac periodo aut immutata aut adjecta sunt, poenarum capitis genera adumbremus exponamusque. Duo vero illa, quae jam supra commemoravimus, genera, lapidatio atque interfectio per gladium perpetrata, etiam hac periodo in usu erant; tamen hoc, quippe quod paullulum immutatum sit, accuratius describamus. Initio quidem illi, de quibus modo disputavimus, satellites, qua via possent, maleficum aggressi occiderunt (1. Reg. 2, 25. 29. 31. 34. 46.) [24]. Postea vero, quum majorem sibi in necando facultatem habilitatemque frequenti usu atque consuetudine parassent, factum esse videtur, ut ejus, qui gladio occidendus erat, caput *desecaretur*. Cui meae opinioni summam affert verisimilitudinem, quod illum Herodis regis spiculatorem Johannem baptistam in vincula conjectum *ἀποκεφαλίσαι* h. e. ejus caput desecuisse (Marc. 6, 27.) narratur. Ad quae duo poenarum genera etiam per antecedentes periodos adhibita sensim sensimque complura alia accesserunt aliunde repetita, quibus tamen nonnisi aut in peregrinos [25] bello manuque superatos aut in cives perduellionis convictos animadversum esse tenendum est. Hinc stant vivorum hominum crematio, suffocatio, crucifixio, obtruncatio, dejectio de saxis, sectio serris effecta. Atque cremationis quidem vivorum maleficorum — nam de ea, qua interfecti ad dedecus augendum afficiebantur, jam supra exposuimus — pri-

23) Obiit Johannes in castello Machaerunte (Joseph. Antiq. XVIII. 5, 2.), quo in vincula ductus erat.

24) In omnibus his locis mandatum, ut satellitum princeps hominem interimat, vocula פגע h. e. aggredi exprimitur neque usquam corporis partem, qua illum aggrediatur, distincte nominatam invenimus. Contra (1. Reg. 2, 28—34.) Joabum ad altare fugisse idque amplexum Benajae jussu templum relinquere noluisse narratur, unde illum, quum quacunque ratione impediret, quominus interficeretur, ita, ut casus secum ferebat, occisum esse merito concluditur.

25) Qua de re, quum illae capitis poenae nonnisi praeter consuetudinem atque insolenter exigerentur, eo, quem supra jam laudavi, loco (Antiq. III. 8, 10.) Judaeos nunquam ab lege Mosaica aberravisse Josephus cum jure quodam suo dicere potuit.

mum mentio injecta est Jer. 29, 22. Dan. 3., quibus locis eam usitatissimam fuisse apud Chaldaeos poenam satis apparet. Neque vero hanc poenam ab Hebraeis adhibitam me in V. T. legere memini; sed tamen postea ad Judaeos transiisse inde patet, quod Herodis magni jussu Matthiam quendam, rerum conversionem intendentem, vivum combustum esse Josephus (Ant. XVII. 6, 4.) 26) narrat. Suffocatio deinde (1. Reg. 20, 31.) inducitur. Hoc enim loco Benadadus, rex Syrorum Damascum tenentium, ceterique captivi saccis induti funiculisque in capite positis Achabum, Israelitarum regem, gratiam vitaeque conservationem petituri, adiisse dicuntur. Hoc autem, quod funiculos in capite gestabant, nihil aliud significare potest, nisi victoris arbitrio se suamque vitam permittentes illos, si rex vellet, colla sua laqueo obstringenda handituros. Suffocationis igitur poenam, quamvis apud illos, qui circa Damascum degebant, Syros in usu fuerit, tamen longum per tempus a Judaeis cooptatam non invenimus. Serioribus autem temporibus eos hoc quoque supplicio esse usos apud Josephum (Antiq. XVI. 11, 7.) 27) legimus. Crucifixionem vero a Romanis ad Judaeos transiisse quis Christianus 28) non novit? Primum igitur crucifixionis exemplum, quoad equidem sciam, Judaei ediderunt, quum Alexandri, eorum regis, jussu cives circiter octingenti, qui contra eum arma ceperant, in pugna captivi redditi, coram ipsius concubinarumque oculis cruci affigerentur 29). Verum enim vero ea,

---

26) Ἡρώδης δὲ τόν τε Ματθίαν ἐπεπαύκει τῆς ἀρχιερωσύνης καὶ τὸν ἕτερον Ματθίαν, ὅς ἐγηγέρκει τὴν στάσιν, καὶ ἄνδρας ἐκ τῶν ἑταίρων αὐτοῦ ἔκαυσε ζῶντας.

27) Ἀλέξανδρος δὲ καὶ Ἀριστόβουλος, ἀχθέντες εἰς Σεβαστὴν, ἐπιτάξαντος τοῦ πατρὸς, στραγγάλῃ κτείνονται.

28) Christum, quippe qui blasphemationum contra deum editarum a Judaeis argueretur (Marc. 14, 58. 64. Luc. 22, 71. Joh. 19, 7.), ex legibus Mosaicis lapidatione (Levit. 20, 10—14.) mulctandum fuisse patet. Quo etiam alludunt versus, qui Joh. 28, 31. 32. leguntur, ubi evangelista putat, Judaeos ex ipsorum lege de Christo non judicasse propterea, ut vaticinium Christi, quod de mortis suae genere locutus esset (Joh. 3, 14. 8, 28.), impleretur.

29) Illud detestabile factum Josephus (Antiq. XIII. 14, 2.) ita describit: Ἑστιώμενος (Ἀλέξ.) ἐν ἀπόπτῳ μετὰ τῶν παλλακίδων, ἀνασταυρῶσαι προσέταξεν αὐτῶν ὡς ὀκτακοσίους· τοὺς δὲ παῖδας αὐτῶν καὶ τὰς γυναῖκας ἔτι ζώντων παρὰ τὰς ἐκείνων ὄψεις ἀπέσφαττεν κ. τ. λ.

quae apud Judaeos obtinebat, crucifixio ab illa, quae apud Romanos in usu erat, crucifixione ea in re abhorrebat, quod hi maleficos saepenumero multos in dies viventes cruci affixos sinebant, illi non sinebant, sed vesperi adventante maleficos etiam tunc viventes, plerumque clavis, occidebant (Joh. 19, 32.). Etenim ex lege vetitum erat, ne quis maleficus die diutius in ligno haereret (Deut. 21, 22. 23.). Porro obtruncationem, quam Graece διχοτομίαν vocant, h. e. eam poenam, qua corpus membratim in multas dissecabatur particulas, per V. T. Dan. 2, 5. Ezech. 16, 40. 23, 47. reperimus commemoratam, ex quibus locis hoc supplicium summam crudelitatem redolens apud Chaldaeos in usu fuisse patet. Cujus διχοτομίας etiam mentio injicitur 1. Sam. 15, 33., ubi Samuelem Agagum regem bello captum, ut Vulgata vertit, in frusta concidisse narratur (cfr. etiam Matth. 24, 51. Luc. 12, 41.). Tum dejectionem de saxis, capitis poenam, quam multi antiquitatis populis imposuisse scimus (2. Macc. 6, 10.), ab Judaeis adhibitam esse 2. Paral. 25, 12. legimus. Quae tamen poena et ipsa ad jura belli pertinere videtur, quum l. l. Idumaei, quos armorum vi Judaei ceperant, de saxis dejecti esse dicantur. Postremo, quod sectionem serris effectam attinet, allegemus 2. Sam. 12, 31., ubi, quos in urbe quadam expugnata comprehenderat Ammonitas, Davidis jussu serris sectos esse legimus. Quod idem poenae capitis genus etiam vocula ἐπρίσθησαν Heb. 11, 37. obvia haud dubie innuit. De ceteris suppliciis pari modo in sacra scriptura commemoratis hic praetermisi dicere, quum in animum induxerim, non ut omnia supplicia, dummodo illic occurrerent [30]), exponerem, sed ut ea tantum, quae ab Judaeis quidem imposita essent, accuratius explanarem.

---

30) In suppliciis, quae, licet in sacra scriptura commemorentur, ab Judaeis quoque cooptata esse non compertum habemus, v. c. haec habenda sunt: submersio (καταποντισμος Matth. 18, 6. Marc. 9, 42—48. Luc. 17, 2.), pugna cum bestiis (θηριομαχία 1. Cor. 15, 32.), occisio calido cinere effecta (2. Macc. 13, 4.), interfectio fustibus instituta (τυμπάνισμος Hebr. 11, 35.). Miror equidem, quod Cl. *Winerus* (*Bibl. Realwört.* tom. II. p. 405.) τυμπάνισμον capitis poenis apud Judaeos usitatis adnumerat, ex loco Hebr. 11, 35. tale quid concludens, quum hic Judaeis quibusdam illam poenam impositam nec tamen eam *ab Judaeis* impositam esse legatur.

Exegetica quaestionis nostrae illustratio.

§. 11. Finita capitis poenae historia biblica, quum illam utpote V. T. approbatam apud Judaeos semper in usu fuisse satis superque viderimus, nostrum etiam est, quid doctrina Christiana ea in re statuat, in sequentibus illustrare, ut recte cognoscamus, num et quatenus haec illas leges Judaicas supplicium ultimum inculcantes cooptet atque admittat. Verum enim vero, quum perpaucos tantum locos nostram quaestionem attingentes per N. T. deprehendamus quumque in iis recte explicandis omnis disputationis nostrae cardo versetur, quia, num doctrina *Christiana* supplicia extrema admittat an rejiciat, nos quidem indagaturi sumus: in singulis illis locis illustrandis atque explanandis temporis operaeque aliquantum consumere nobis liceat. Loci vero, qui in disceptationem veniunt, hi fere sunt: Matth. 5, 21. 22. 15, 3—7. 26, 52. Joh. 8, 3—11. 19, 10. 11. Act. 5, 1. 25, 11. Rom. 13, 4. Apoc. 13, 10.

Primum quod attinet Matth. 5, 21. 22., hic dicitur a veteribus legis Mosaicae interpretibus doctum esse, ne quis interficeret; qui vero interfecisset, ut in judicium veniret [31]) (scil. eum in finem, ut, si in culpa esset, capitis damnaretur). Jam vero sequuntur Christi verba, quibus ab hominibus justis atque probis plus se postulare quam illos interpretes ostendere vult. Praecipit enim, ut, qui irascatur fratri suo, in judicium veniat, nimirum in hoc, quod synedrium minus appellabatur, ad quod, quum ex septem viris constaret, leviora crimina deferebantur; qui vero fratrem dixerit fatuum, in synedrium magnum adducatur (hoc enim omnia

---

31) Verbo ἔνοχος non inest ea notio, ut *capitis* damnatum significare queat — tum ponendum erat ἔνοχος θανάτου Marc. 14, 64. Matth. 22, 66. — nec vero κρίσει h. l. idem esse potest, quod κατακρίσει, quia tum per Genitivum, quem dicunt, poenae κρίσεως (Marc. 3, 29.) dicendum erat. Contra ἔνοχον εἶναι τῇ κρίσει in judicium ire simpliciter significat. Falso tamen *Hasius* (l. l. p. 81.) locum interpretatus est, quum ita explicaret: Qui interfecerit, is in judicium ibit vel judicabitur, ergo (!) non occidetur. Si considerasset ille vir doctus, veteribus, quippe quorum opinione interfectio consulto perpetrata semper morte mulctanda esset, haec verba esse dicta (nam v. 22. demum Christus ex sua ipsius mente loqui incipit): tale quid verbis ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει inesse non posse sponte sua sensisset.

majoris momenti crimina dijudicabat atque adeo capitis damnare poterat); qui denique scelestum appellaverit, dignus habeatur, qui in Geennam igneam conjiciatur h. e. summo supplicio dignus judicetur. De his igitur Jesu Christi verbis quaeritur, num proprium sensum habeant ideoque capitis poenam praecipiant necne. Equidem proprium verborum sensum denego, his fere causis adductus. Primum enim eae, quibus poena praescriberetur, conditiones tales essent, ut humani judices etiam sagacissima mente praediti eas detegere non possent. Quis enim homo me cuidam irasci firmiter contendere possit, quum ira in intimo pectore recondita sit? Deinde talia principia reconciliari nequeunt cum miti salvatoris ingenio, qui v. c. a marito mulierem dimitti vetat, nisi forte adulterium commiserit (Matth. 8, 32.), atque adulteram adeo, sicut infra videbimus, morte liberat, adulteram dico, quae tamen procul dubio majus peccatum admisit, quam is, qui irascitur. Porro justitia, quam Christus requirit, non coram lege aut hominibus, sed coram deo se ostendere et minus in hac terra quam in coelo probari vult. Quae quum ita sint, locum h. m. explicandum esse statuo, ut Jesus dicere voluerit, injustam etiam iram, nedum homicidium, quod jam interpretes illi supplicio affici jubeant, a deo punitum iri: iram quidem, si condita in pectore maneat, mitius, si verbis mansuetioribus se expresserit, severius, si denique vehementer exarserit, severissime.

§. 12. Matth. 15, 3—7., quem locum jam in disceptationem vocamus, historia haecce narratur. Pharisaei quidam legisque interpretes Christum adeunt rogaturi, quonam jure ipsius discipuli veterum praecepta migrarent, ex quibus, priusquam manus lavisset, nemini cibum sumere liceret. Christus contra respondet, illis talem non convenire interrogationem, quum, humanis praeceptis cooptatis, divinam legem spernerent. Deus enim, inquit, praecepit, ut patrem matremque coleres et, qui patri matrive maledixisset, mortem obiret (Exod. 21, 17.). Vos vero mandatis, ne is, qui patri matrive dixerit: deo sacratum est, quo a me possis sustentari, parentem nutrire cogatur, legemque divinam praeceptis vestris posthabetis. Quibus expositis Christum ita argumentari, ut Pharisaeis, divinam adeo legem contemnentibus, non licere inobedientiam adversus legem sibi exprobrare demonstret, neque vero eum de divinae illius legis indole atque obligatione h. l. disserere facile apparet. Etenim ex eo, quod legem illam officia erga parentes spectantem *a deo* datam dicat, nequaquam concludi potest,

mandasse Christum, ut, qui parentibus maledixisset, etiamnunc capitis supplicio mulctaretur, quum alias quoque leges auctore deo per Mosem datas illisque, quibus dabantur, temporibus accommodatas ipse tolleret, v. c. omnes leges de cibis sumendis (Matth. 15, 11. 17. 18.), legem de sabbato (Marc. 2, 23—28.) etc.

§. 13. Matth. 26, 52. leguntur haec verba: *ἀπόστρεψον τὴν μάχαιράν σου εἰς τὸν τόπον αὐτῆς· πάντες γὰρ οἱ λαβόντες μάχαιραν ἐν μαχαίρῃ ἀπολοῦνται.* Quae verba Christus ad Petrum fecit, quum instante turba hostium dominum aggredientium, vim vi repellere hic conaretur; eo nimirum consilio, ut acrioris animi discipulum impediret, ne in periculum inevitabile incideret. Sententiarum connexus ita procedit: Remove, inquit Christus, mi Petre, gladium tuum in vaginam; nam quicunque vestrum ad me defendendum gladium ceperint, ii inobedientiae contra magistratum accusati gladio peribunt. Admonet Petrum illius legis Mosaicae, ex qua mandatum erat, ut, qui magistratibus non obediret, morte mulctaretur (Deuter. 17, 12.). Jam vero, ut apostolum a facto temerario, quod ipsi mortem paravisset, arceret, Christum legem illam recitare nec vero eam ex sua mente suisque principiis fulcire facile patet. Aliter res se haberet, si *docendi* causa sententiam illam protulisset.

§. 14. Joh. 8, 3—11. continet historiam, quae agit de adultera quadam a Christo in libertatem missa. Interpretes enim legis Mosaicae et Pharisaei, quum summo in salvatorem odio flagrarent, persaepe causam invenire studuerant, qua delata illum ipsorum fastui et pietati simulatae infestissimum vita privarent. Sed frustra (Joh. 7, 47—52.). Quum igitur adulteram quandam in ipso delicto deprehendissent, se edoceri velle, quid facerent, simulantes illam ad Christum duxerunt eumque maxima populi spectantis corona stipati h. m. alloqui coeperunt: Mosem quidem lege mandasse, ut quae in adulterio deprehensa esset mulier per lapides interficeretur; ediceret igitur sibi, ipse quid cogitaret. Christus contra taciturnus capite in terram demisso in fundo scribebat. Quo facto, quum pergerent interrogare, ille suspiciens: qui vestrum, inquit, peccatis vacuus est, is primum lapidem in eam conjicito. Haec vero locutus iterum capite demisso digito in solo scribebat. Illi interea prava conscientia usi ad unum omnes clam aufugerunt, ita ut ipse cum adultera solus remaneret. Suspiciens deinde Jesus, quum neminem nisi feminam conspiceret, illam rogitavit, ubinam essent ipsius accusatores

et num nemo ipsam damnavisset. Cui illa neminem damnasse quum responderet, nec ego, inquit, te damno, sed desine peccare.

Qua enarratione proposita officium nostrum erit exponere, quae fuerit ratio, qua Pharisaei Christo insidias struere (v. 6.) conarentur. Multi interpretes, quum mortem adulterae lege praescriptam inhibendi consilium salvatori fuisse concedere nollent, varia via locum tentarunt. *J. D. Michaelis* nonnullos Pharisaeos credidisse dicit, plerasque leges Mosaicas a Jesu tolli, idque ut ipsi comperirent, cum adultera ad eum accessisse, interrogantes, quid de lege adulterii censeret. Jesum vero, interrogationem insipidam habentem, quum responsio ex lege pateret, tacuisse terraeque figuras quasdam inscripsisse, quibus, sicut scriptum esset, se cogitare ostenderet. Quum pergerent interrogare, ipsum perturbatum esse credentes, dixisse eum, ut, qui nulla peccata commisisset, primum lapidem in feminam conjiceret. Quae responsio fere idem significaret, ac si dixisset: se mirari, quod interrogarent de re tam lucida; num forsitan ipsi tale vitium commisissent? sin minus, qui peccatis vacuus esset, lapidationis initium faceret. Quo facto, quum iterum scripsisset in arena eosque timor invasisset, ne forte multa ipsorum vitia conscriberet, conscientia prava convictos aufugisse. Quorum fuga comperta Jesum solum cum sola remanentem absolvisse adulteram atque dimisisse, ea tamen adhortatione, ut in futurum ne peccaret [32]). Descripsi hujus viri totam sententiam, quia artificiosius composita est, quam ut accuratius refelli non commereretur. Tres fere causae illi explicationi obstant: Primum Christus responsione sua id ipsum adduxisset, quod ex sumtione Michaelis adducere non debebat, adulterae nimirum liberationem. Deinde sese non damnare (scil. capitis) mulierem nudis verbis v. 11. effatus est. Tertio, si legem illam etiamtum amplexus esset, curam gerere eum oportebat, ut adultera puniretur; salvator contra eam impunitam ipse dimisit. Etenim accipere non possum, quod Michaelis sub finem explicationis suae adjicit, eum, ut apud nostrates juris consultum [33]), opinio-

---

32) *J. D. Michaelis Mos. Recht* tom. V. p. 268 sqq.

33) Totam imaginem claudicare quis est quin videat? Christus enim nullo modo jurisconsultus nominari potest, quoniam non solum leges a Mose latas explicavit atque illustravit, sed etiam novas — (idque proprium ejus munus erat) — tulit veterumque loco substituit. Itaque non jurisconsultus, sed legislator vocandus est.

nem rogatum esse nec debuisse mulieris fieri accusatorem. Quis tandem, rogo, nostris temporibus juris consultus, quum in tali causa, quae non solum ex suamet ipsius mente sed etiam ex ejus, qui rogat, opinione mortem commereatur, sententiam rogatus, propter quendam accusatoris metum maleficum v. c. homicidam in potestatem suam acceperit, illum magistratui non tradat nec testes etiam contra ipsorum voluntatem in foro testari cogat, ut homo scelestus poenam ex omnium sententia meritam subeat? Sin non tradat, tale crimen supplicio haud dignum se putare indicat. Multo autem minus arridet mihi eorum opinio, qui quidem Christum poenae capitis adulterabus imponendae haud adversatum esse contendunt, Pharisaeorum vero calliditatem eo contineri censent, quod, ut adulteram capite damnaret, eum compellere voluissent, forsitan fore rati, ut populus studio atque furore correptus statim lapidationem exsequeretur, quum tamen penes synedrii judices esset damnatio, approbatio vero judicii a proconsule Romano esset petenda, ideoque Christum accusandi, quippe qui tumultus motionesque inter populum excitaret, potestas ipsis daretur. Displicet haec explicatio ex his fere causis: Primum, si Pharisaei hac via Christum tentassent, sentiens, quid vellent, rem nihil ad se pertinere dixisset; irent ad eos, penes quos judicium in hac causa esset. Deinde, etiamsi legem a Mose datam approbasset, illi exspectare non poterant, populum tanta insania impletum iri, ut judicio legitimo nondum exercito adulteram cum suo periculo interficere conarentur, aut, si fecissent, ut a foro saltem Romano se impetraturos crederent, ut Christus, qui omni certe modo tale facinus praepedire studuisset (Joh. 18, 31.), propterea condemnaretur. Denique omnes hae, quas contra Michaelem induxi, causae hanc interpretationem impugnant. Restat igitur, ut Christum adulterium morte puniendum negasse ponamus, quae quidem sumtio cum illa convenit ipsius doctrina, ex qua mulierem marito, nisi adulterium commiserit, non relinquendam esse praecipit (Matth. 8, 32.); quae sane doctrina lege Mosaica multo mitius spirat ingenium. Tum Pharisaei callidissimi hoc dilemmate eum implicuere, ut aut coram discipulorum audientium turba legem

---

Tali honore, licet fraudis insidiarumque studio ducti, eum afficere et ipsi Pharisaei legisque interpretes (vss. 3. 9.), qui, quid juris esset, bene sciebant nec ab eo quaerebant, quid lex Mosaica de adulterio statueret, sed ipse quid cogitaret (v. 5.).

Mosaicam approbare, qua re inconstantiam in principiis semel pronuntiatis ostendisset, aut adulterium morte dignum esse negare eum cogeret, id quod ipsis ansam praebuisset accusationis. Christus vero pro summa ipsius sapientia dilemma evitavit, ut mortem quidem mulieris concederet, ea tamen conditione, ut ille, qui peccatis obnoxius non esset, lapidationis initium faceret; qua responsione sapientissima, sicut praevidebat, effecit, ut prava peccatorum conscientia convicti non solum ipsum intactum relinquerent, sed etiam ab eo, quod meditabantur, facinore prorsus desisterent.

Ita pulchrae hujus narratiunculae argumento exposito etiam aliquid de illius fide adjiciam necesse est. Quum vero omnes codices, qui illam vel tuentur vel omittunt, recitare longum esset, plerosque eosdemque optimos eam vel transire vel asterisco obelove signare commemorasse sufficiat; quem in finem perlegas quaeso ea, quae in N. T. editione majore *Griesbachius* ad nostrum locum annotavit. Ipse jam locum suspectissimum habuit et *Lachmannus*, eum sequutus, totum ex tectu ejecit. Itaque dubitare non possumus, quum auctoritatem codicum nos oporteat sequi, quin locum non ab Johanne ipso scriptum judicemus. Nec multum contra nostram conclusionem valet vel ea, quam nonnulli praetexuerunt, causa, quum primis Christianismi temporibus offensioni fuerit legis alicujus Mosaicae antiquatio, eos locum nostrum omisisse, vel ea, quam Michaelis l. l. inducit, conjectura, propterea, quod adultera per lapides ex lege interficienda esse dicatur Judaeique seriorum temporum duce Maimonide eam jugulandam esse praeceperint, nostram narratiunculam esse praetermissam; siquidem multi alii loci majorem offensionem sistentes unanime nobis conservati sunt nec tales conjecturae in disceptationem venire possunt, quoties tanta codicum auctoritas contra loci cujusdam fidem pugnat. Porro exponi potest, cur hoc ipso loco historia nostra inserta sit. Etenim, quum sub capitis quoque antecedentis finem Pharisaeos omni modo Christo insidias paravisse traditum sit, nostrae narratiunculae annectendae consilium facile aliquis capere potuit. Si igitur narratio, ubi invenimus eam, spuria habenda est, proptereane Christum voluisse, ut adultera morte liberaretur, concludere non possumus? Sane, non possemus, si etiam rem ab ipso non perpetratam esse demonstraretur. Sed equidem historiae argumentum verum puto. Primum enim jam ab antiquissimis inde temporibus commemoratur, quum et nonnulli antiquiores codices

eam habeant authenticam aliique, etiamsi non agnoscant Johanneam, tamen eam noverint [34]. Deinde totus ejus color atque indoles, nec non accurata et vivida rerum descriptio illud factum vere accidisse luce clarius demonstrat; id quod in causa videtur fuisse, cur tam multi interpretes, codicum auctoritate neglecta, eam Johanneam putarent. Etenim quum Pharisaeorum interrogatio, ut supra vidimus, callidissima sit illorumque malitiis astutiisque quam maxime accommodata, tum Christus unica responsione summae sapientiae plena illorum consilia periculosa evertit atque mulierem adeo liberat. Deinde quid machinarentur neque eos desiderare institutionem suam quum confestim animadverteret, indignationis plenus et doloris propter tantam animorum perversitatem tacebat nonnullosque gyros in arena digitis fingebat. Tum demum, quum illos interrogando pergere sentiret, ne discipuli ipsum metu agitari crederent, illam responsionem memoria dignissimam effatus est; quo facto iterum taciturnus manebat [35], donec omnes accusatores abiisse sentiret. Ad mulierem igitur conversus, quum triumpho suo, quem deus ipse dederat, gavisus interrogasset, num nemo eam morte dignam habuisset, muliere negante: nec ego, inquit, te condemno, sed adhortor te, ne in futurum pecces. Talis adulterae dimissio quantum conveniat cum ipsius mitiori animo, jam supra monitum est. Quae quum ita sint, non possum non concludere, historiam ita, ut traditur, accidisse nec tamen ab Johanne ipso conscriptam, sed a lectoribus quibusdam huic ipsi loco esse insertam, quia in antecedentibus simili ratione de Pharisaeorum insidiis Christo paratis mentio erat injecta [36].

§. 15. Quemadmodum singularem capitis poenam, nimirum quae mulieribus adulterii convictis imponeretur, a salvatore abrogatam esse in proxime antecedentibus vidimus, sic morte multandi potestatem in universum ad magistratus judicesque humanos re vera pertinere loco Joh. 19, 10. 11. obvio edocemur. Verum, ne multi simus, statim singula videamus. Pilatus, inquit

---

34) Noverunt eam illi codices, qui aut spatium vacuum lacunamve habent, sicut cod. A. B. C. et L., aut adjecto scholio adscriptisve obelis locum tanquam dubium notant.

35) Cfr. similia, quae de Christo traduntur Matth. 26, 62—64. Marc. 14, 60—62. 15, 4. 5. Joh. 19, 9. Luc. 23, 9.

36) Cfr. etiam, quae S. V. Lueckius et Tholuckius in comment. ad h. l. annotavere.

evangelista, quum habere se legem, ex qua Christum mortem obire oporteret, Judaei dixissent, summo timore perculsus iterum salvatorem rogaturus adiit; verum hic ad illius quaestiones non respondebat. Tali audacia iratus Romanus ei mortem comminatur, hoc dicens: Me rogante taces? nonne scis, aut cruci te affigendi aut liberum te dimittendi me habere potestatem? Cui respondet salvator: Habes quidem illam me cruci affigendi potestatem, sed habes eam a deo acceptam [37]) ideoque simul potentia tua modo divino utendi officium. Quae quum ita sint (διὰ τοῦτο v. 11.), quoniam illo jure non ex voluntate dei, sed hominum metu iraque compulsus uteris, valde peccas, quamquam magis peccant ii, qui me tibi prodiderunt, Judaei [38]). Quibus dictis officii sui admonitus Pilatus operam navavit, ut Christum liberaret (v. 12.), neque tamen, ut eventu edocemur, in consiliis suis sibi constitit, sed eum Judaeis clamantibus trucidandum tradidit. Christus igitur ipse (idque summi est momenti) Pilati *vitae necisque jure* gloriantis verba non improbat, sed horum vim atque auctoritatem adeo auget, quum tale jus illi non ab hominibus, sed ab deo omnipotenti datum esse contendat. Vituperat contra Pilatum propterea, quod hic, *divinitate* illius juris neglecta, judicis injusti more judicium suum constituere coeperit. Itaque, quoad equidem videam, dubitari nullo modo potest, quin l. n. Christus morte mulctare magistratibus permiserit.

§. 16. Transeamus ad Act. 5, 1—11. et primum videamus, quid sit hujus loci argumentum. Vir quidam, cui nomen erat Ananiae, ait Lucas Actorum auctor, quum moris esset, ut divites ad tollendam pauperum necessitatem possessiones venderent atque pretium ante apostolorum pedes deponerent, et ipse agrum vendidit, sed muliere Sapphira conscia pecuniae acceptae partem condidit neque apostolis tradidit, sperans fore, ut illi avaritiam suam amorisque fraterni defectum non sentirent. Quod quum Petrus animadvertisset, eum contemtorem denotavit spiritus sancti deique

37) Ad verba εἰ μὴ ἦν δεδομένον v. 11. obvia, de quorum constructione multifariam disputatum est, facillime subjectum τὸ ἔχειν ἐξουσίαν suppletur.

38) Majus Judaeorum peccatum (μείζων ἁμαρτία), quam Pilati peccatum vocatur, quia illi, summa caecitate fastuque inflammati, flagitiosissimi salvatoris interitus erant *auctores*; hic vero illorum metu perculsus *instrumenti* tantum loco erat.

ipsius, qui spiritum dedisset, monuitque eum stultitiae facti, quod, etiamsi agrum vendidisset, tamen ejus pretium in ipsius potestate fuisset neque, si noluisset, illud in communem ecclesiae usum tradere debuisset. Quae quum audivisset Ananias, in terra prostratus animam exhalavit. Deinde quum tribus horis post mulier mortis nescia intrasset quumque et ipsa plus se accepisse denegasset: Petrus illi objecit, quod conspirasset cum domino, praesagivitque fore, ut iidem juvenes, qui maritum sepelivissent, portam jam intraturi ipsam sepelirent. Quo audito et ipsa subito mortem obiit. Ex tota igitur narratione patet, non a Petro quidem solo verbo hos ambos spiritus sancti contemtores esse interfectos, quemadmodum ex verbis quoque elici potest, siquidem eos dignos fuisse, qui mererentur, nunquam aperte dicitur et v. 9. tantummodo praedicatur, fore ut mulier diem supremum obeat. Patet potius, mali facinoris conscientiam terroremque, quum necopinato rem detectam viderent, in femina praeterea subitam mariti mortem ita eorum animos ad hoc perturbatos oppugnasse, ut coram multis aliis Christianis confestim perirent eaque via, deo optimo maximo volente, documento essent, ne quis postea spiritum divinum apostolis inhabitantem contemneret. Ergo quam immerito locus noster ad haereticos puniendos sit adhibitus neque quidquam inde sumi posse, quo supplicia capitis defendantur, unusquisque facile videt.

§. 17. Act. 25, 11. deinde, ut paucissimis sententiam proferamus, de poenarum capitis *dignitate* atque *indole* nihil disputatur. Paulus enim, Caesareae in vincula conjectus, quum civitate Romana frueretur, coram Festo judice ad Caesarem illic provocat, hoc quippe concedens, si quid morte ex legibus dignum commiserit, se mortem obiturum. Demonstraturus scilicet est, se nihil postulare, nisi ut ex communi jure secum agant, siquidem neque Judaeorum leges nec templum neque Caesarem se violasse conscius sibi sit. Quae quum ita sint, quemadmodum Paulus h. l. poenas capitales nec comprobat nec abrogat, sic ne nos quidem inde de harum poenarum usu aut necessitate cum jure nostro quidquam concludere possumus.

§. 18. Jam vero ad Rom. 13, 4. processimus, ad eum nimirum locum, qui, quum ante omnia supplicium capitis approbare videretur, a plurimis etiam interpretibus, quid N. T. de illa poena praescriberet, accuratius indagaturis summo opere vexatus est. Finis autem totius sectionis, quae ab initio capitis usque ad

v. 7. continuatur, est, ut demonstretur, quantopere magistratibus suis legibusque obtemperare, praesertim solvendis vectigalibus (v. 7.) et tribuendis debitis honoribus, bonos Christianos deceat. Etenim nonnulli etiam, qui Romae degebant, Christiani, libertate per Christum recuperata exsultantes (1. Petr. 2, 16.), quum omnes leges ideoque etiam civiles ad sese, qui fide valerent, non pertinere crederent, ut magistratibus eorumque decretis non amplius obedirent, in animum induxisse videntur. Quorum studiis factisque ut cum eventu resisteret, Paulus l. n. non hoc inculcavit, obedientiam erga magistratus, quippe qui aut poenas aut praemia *ex proprio arbitrio* constituerent, esse exercendam (quod si inculcasset, saltem eos, qui magis deum quam homines timuissent, potius adduxisset, ut talis arbitrarii judicii facerent periculum); apostolus igitur non illud inculcavit, sed hoc potius egit, ut magistratum a deo constitutum (vs. 1 et 2.) evinceret, ex quo illum quidem jus et bonos beneficiis cumulandi (v. 3.) et maleficos severissime puniendi (v. 4.) et tributum postulandi (v. 6.), hos vero obedientiae officium (v. 5. διὰ τὴν συνείδησιν) *divinitus* accepisse merito concludit. Comprobato igitur, magistratus potestatesque cum summo jure eoque divino imperium exercere de maleficisque sumere vindictam, fieri non poterat, quin Christiani, conscientiis divinarum institutionum reverentia, non humanarum poenarum metu commotis, illis, quae de magistratibus apostolus tradebat, praeceptis admonitionibusque libenter obsequium praestarent. Haec de totius illius sectionis argumento atque ratiocinandi modo causaque praefatus, eos qui cum maxime in nostram disceptationem cadunt versus, dico vs. 3 et 4., accuratius illustremus atque explanemus necesse est. Illi autem versus hoc sibi volunt, ut exponant, quomodo eos, qui magistratuum tutelam commereri eorumque metu vacare velint, agere oporteat, mandantque, ut tantum bonum quodque cordi curaeque habeant, peccatis vero atque vitiis abhorreant. Verborum vis et sensus hicce est: Si magistratum timere nolis, id, quod bonum rectumque est, perfice et praemia 39) ab illo accipies. Jam vero causa additur, cur magi-

39) Ἔπαινος (v. 3.) *praemium* h. l. significat; cfr. 1. Petr. 2, 14., ubi verba ἐκδίκησις et ἔπαινος sibi opponuntur. Ergo illud vocabulum non solum de iis, quae per *vocem* vel *linguam* fiunt, laudibus explicandum est, quales v. c. apud Romanos a Censoribus contigere nonnullis, qui prae ceteris morum castitate atque integritate

stratus eum, qui recte agat, praemiis exornare debeat. Nam, inquit Paulus, magistratus dei est minister, qui te, virum quippe probum, beneficiis cumulat [40]. Ita virtutum praemiis expositis, apostolus pergit: »Sin vero id, quod malum est pravumque, facias, time (magistratum); nam non frustra sive ostentationis causa gladium gestat.« Sed, priusquam sequentia explicemus, videamus, quid h. l. sit τὸ τὴν μάχαιραν φορεῖν. *Hasius* (*Vom Justizmorde* etc. p. 9.) vult, ut ἡ μάχαιρα hic tanquam symbolice puniendi jus, quod penes civitatem est, significet, idque *excluso* vitae necisque jure. Quam tamen sententiam non idoneis probavit argumentis. Etenim, ut talem symbolicam verbi μαχαίρας notionem demonstraret, Protestantium induxit scripta symbolica, praesertim Confess. August. art. VII. de potest. Eccles., ubi jus gladii in universum poenarum jus ad civitatem pertinens significaret, ita ut juri ecclesiastico opponeretur, cujus quidem symbolum esset baculum pastorale. Verum etiam in Confess. August. jus gladii civitatum jus puniendi ita exprimit, non ut excludatur vitae necisque jus, sed ut *includatur*, quoniam potestatem morte adeo mulctandi civitati convenire illa Confessio et ipsa (art. XVI.) firmiter asserit. Deinde hoc pro sua voc. μαχαίρας interpretatione attulit, quod lictores fasces tanquam juris poenarum symbolum etiam tum consulibus praetulissent, quum lege Porcia lata (Liv. X, 9.) in liberos Romanorum cives non amplius securibus animadverti potuisset. Qua in re hoc omisit notare, tantummodo *extra* Romae urbis moenia illorum fascibus *secures* infuisse ipsasque has secures juris vitae necisque fuisse signa; deinde *solas* etiam fasces coram populi concione esse submissas, qua re ne verbera quidem ad cives Romanos pertinere innuebatur [41]. Ex quo sequitur, ut, si consules praelatis a lictoribus fascibus per populi turbam incedebant, illae

---

excellerent (cfr. significationes: »princeps senatus, princeps juventutis« etc.); sed vocula ἔπαινος alia etiam virtutis praemia innuuntur: poenarum defectus, vitae tutela atque securitas, evectio ad munera honoresque etc.

40) Cur verba σοὶ εἰς τὸ ἀγαθόν ita explicem, facile apparet, si quis verba respondentia: ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι v. seq. comparet. De notione voc. ἀγαθός cfr. Rom. 5, 7. Matth. 20, 15. Act. 9, 36. Jac. 3, 17. Philem. v. 14.

41) Cfr. *Haackii Abriss der griech. u. röm. Alterthümer. Stendal 1821.* p. 144. 159.

fasces securibus spoliatae consularem populi plectendi potestatem nec tamen vitae necisque jus significaverint aut significare potuerint. Quae quum ita sint, *Hasius* ex illo more, ex quo, etiam abrógata capitis poena, Romae a lictoribus fasces consulibus praeferebantur, nihil pro sua voc. *μαχαίρας* explicatione concludere potest; etenim tum demum inde aliquid concludere potuisset, si fasces *una* cum *securibus* praelatas nec coram populo summissas esse ostendisset. Accedit, quod, si illius sententiam cooptemus, Paulum verbis obscuris iisdemque ambiguis in significando poenarum jure usum fuisse concedendum est; etenim facillimum esse ad conjiciendum, apostolum, quum voc. *μάχαιρα* poenarum jus expresserit, hac vocula etiam *μαχαίρας* in puniendo usum h. e. vitae necisque jus indigitasse quis est, quin statim concedat? Cur hanc ancipitem formulam hic usurpat? cur maleficum a magistratu *punitum* iri simpliciter non dicit? Ex quibus procul dubio consequitur, ut apostolus, magistratum gladium gestare dicens, illius in civium vitam potestatem innuat. Nexus igitur verborum hicce est: Si male agas, time magistratum: nam non speciei causa 42) gladium gestat, sed ut te, quippe maleficum, puniat atque, si opus est, adeo morte mulctet. Quibus ex verbis a Paulo supplicium capitis approbatum esse nemo cum jure suo potest concludere, quia objicere quispiam possit, Paulum de facto quidem vitae necisque jus apud magistratus inveniri asserere neque tamen definire, num *jure* tali potestate illi quidem fruerentur. Quam ob rem cardo disputationis jam in eo versatur, ut demonstretur, quonam referendum sit sequens *γάρ*. Quod si ad sententiam *οὐκ εἰκῆ τ. μάχ. φορεῖ* stabiliendam facit, capitis poenam a Paulo etiam ex ingenio Christianismi confirmatam esse patet.

Ex verbis quidem illud *γάρ* etiam ad voculam *φοβοῦ* trahi posse facile quisque concedet, qui tantillum temporis studiique in N. T. interpretando consumserit; sed l. n. rem aliter se habere ex his fere tribus causis videtur apparere. Primum enim, si illam conjungendi rationem statuas, *ἀντίκλιμαξ*, quae dicitur, efficiatur, quae omnem verborum vim atque impetum prorsus tollat, quia multo gravior inducitur timoris causa, si malefico supplicium capitis, quam si tantum in universum poena aliqua pronuntiatur. Hoc vero hic locum habere quis non videt? Etenim prior metus causa

42) In verbis οὐκ εἰκῆ figura quam dicunt λιτότητα deprehenditur.

esset: οὐ γὰρ εἰκῆ τ. μάχαιραν φορεῖ, secunda autem: θεοῦ γὰρ διάκ. ἐστ. ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ τ. κακ. πράσσ. Accedit, ut parallelismus membrorum illam explicationem impugnet. Quum enim verba, quae supra leguntur: θεοῦ γὰρ διάκ. ἐστ. σοὶ εἰς τὸ ἀγαθόν nostris respondentia huic inserviant fini, ut causam reddant sententiae ἕξεις ἔπαινον ἐξ αὐτῆς, quae respondet verbis οὐκ εἰκῆ τ. μάχαιραν φορ., etiam verba θεοῦ γ. διάκ. ἐστ. ἔκδικος εἰς ὀργὴν κ. τ. λ. causam reddere sententiae οὐκ εἰκῆ τ. μάχαιραν φορεῖ veri est simillimum. Denique vix mihi persuadere possum, ut credam, Paulum hic, supplicii capitis mentione injecta, nihil nisi a peccatis voluisse *deterrere*. Nihil enim nisi terrorem incuteret, si illius poenae mentionem quidem faceret nec vero eam Christianorum animis conscientiisque commendaret. Jam vero per nostram sectionem Paulum huic studere supra monitum est, ut magistratus a deo ipso constitutos esse omnesque propter conscientiam (v. 5.) illius mandatis obsequium debere ostenderet. Quae quum ita sint, eam, quae inest verbis οὐκ εἰκῆ τ. μάχ. φορεῖ, sententiam ita explicari posse omni modo denego, ut, quemadmodum illi volunt et velle debent, qui hanc sententiam cum statim sequenti, quae a particula γάρ incipit, non arctius cohaerere contendunt, terroris metusque injiciendi causa eam adjectam esse dicas. Quibus causis commotus, illud, de quo quaeritur, γάρ cum verbis statim antecedentibus quam arctissime conjungendum esse equidem puto, ita ut hicce fere sensus evadat: »Si male agas, time magistratum, quippe qui te, si opus est, adeo capitis damnaturus sit; capitis autem te damnabit, quia dei est minister, qui de omniquoque malefico vindictam sumit.« Quum igitur Paulus magistratum divino ministerio fungentem sive auctore deo maleficis capitis poenam infligere dicat, ex ipsius sententia eam, si imposita opus sit, per Christianismum approbandam esse patet (cfr. praeterea Jesu dictum Joh. 19, 10. 11. obvium).

Sed priusquam hunc in quaestione nostra summi momenti locum mittamus, etiam eas, quae nostram explicationem impugnant, objectiones accuratius perpendamus. Quam primam inducit Cl. *Hasius*, haecce est, quam ipsius verbis reddemus (p. 80.): *Paulus schrieb an neue Christen, welche man damals noch allgemein mit Juden verwechselte, und alle Juden waren im Verdachte, Revolutionairs zu sein. Damals regierte Nero. Da war's doch in Wahrheit nicht rathsam, dass irgend einer aus dem verdächtigen Christenhäuflein Untersuchungen über den* Titulum juris Neroniani

angestellt hätte. Diese exeget. Bemerkung über eine Stelle, welche im ältern Staatsrechte eine ziemlich wunderbare Rolle gespielt hat, danken wir unserm Schlözer, s. die Aphorismen zu seinem allgemeinen Staatsrechte. Respondemus ita: Periculum Paulo attulisset talis disquisitio, si titulum juris Neroniani aggredi atque traducere voluisset; sed quum et ipse suppliciorum impositionem comprobaret, prorsus nullum aderat periculum, quod ipsi inde imminere potuisset. Alteram deinde idem auctor adjicit causam (p. 9.), demonstraturus, cur, etiamsi capitis poena l. n. commendetur, id non ita magni haberi queat. Sententia illa, inquit, qua supplicium comprobatur, a Paulo paucissimis verbis vix est indigitata neque antiquissimis jam Christianismi temporibus rem quandam, quae non proprie ad pietatem divinarumque rerum cultum spectabat, satis accurate eum perspexisse credibile est. Quibus dictis ita pergit perorare: *Im N. T. ist auch die Sclaverei nicht verworfen, vielmehr scheint sie durch Ermahnungen der Knechte gegen ihre Herren anerkannt und geheiligt, ja bestätigt durch die Thatsache selbst eines entlaufenen und an Philemon zurückgesandten Sclaven mit des alten Pauli Briefe, jenem unübertrefflichen Muster an Herzlichkeit und Urbanität.* Patet haec verba, quae ille vir doctus de servorum conditione N. T. approbata fecit, propterea esse adjecta, ut, quemadmodum servitus, licet ab auctoribus sacris commendata et sanctificata, tamen majori spiritus Christiani progressu atque conformatione unanime abrogata esset, sic etiam supplicia capitis utpote a Paulo l. n. comprobata, hujus auctoritate haudquaquam violata, abrogari posse demonstraret.

Itaque, num et quatenus servitium N. T. commendatum sit, in sequentibus videamus, ut inde intelligere queamus, quonam jure eo, quod mancipiorum status antiquatus sit, suppliciorum l. m. commendatorum abrogatio excusetur atque defendatur. Hoc sane concedendum est, in N. T. servitutem non esse sublatam, si hoc ita intelligas, apostolos, quum evangelium praedicarent, non mandasse, ut omnes servi in libertatem mitterentur. Quod si factum esset, procul dubio servorum tumultus, sicut saepenumero antea, exstitisset. Sed ubi v. c. Paulus ad Christianos, quibus tantummodo regulas atque praecepta tradere poterat, litteras dat, eos monet, ut erga servos benevolo sint propitioque animo (Ephes. 6, 9.). Onesimum autem, Philemonis servum, quum domino remitteret, non amplius ut servum, sed potiorem servo, ut fratrem dilectum et in carne et in domino (Philem. v. 16.),

remisit, h. e. ut eum pro fratre haberet non solum in rebus Christianis, sed etiam in rebus carnalibus sive externis. Atqui si servi a dominis Christianis ex apostoli mandato pro fratribus [43]) habebantur, nomine quidem, sed non re servi erant. Dominis vero ad paganos adscriptis quum apostoli nulla mandata dare possent, illorum servis Christianis fidem erga dominos atque obsequium imperabant, sed ita imperabant, ut in singulis factis dei voluntatem pluris facerent quam dominorum (Ephes. 6, 5—7.). Petrus deinde servos non solum dominis propitiis benevolisque, sed etiam austeris fidem atque obsequium praestare jussit, ideo quod malis injuste impositis cum animorum quadam patientia mentiumque constantia tolerandis gratiam divinam sibi acquisituri essent (1. Petr. 2, 18 etc.). Etenim, quum non sine summa rerum clade atque perturbatione servitutis abrogationem doceri posse intelligeret, servos Christianos instituit, quomodo ex conditione sua misera id, quod ad sempiternam animorum salutem pertineret, discere possent, neque tamen *servitutem* ipsam comprobare studuit. Iis igitur, quae de servorum statu N. T. docet, in unum comprehensis, a dominis Christianis apostolorum jussu servitutem re vera, sed non nomine abrogatam, apud paganos autem, ut qui ex illorum nutu non penderent, exercitam esse patet, sed non ita, ut ab apostolis *approbaretur*, qui eam confestim quidem immutare nec poterant nec volebant, sed hominibus servitii jugum *deo auctore* imponi posse nequaquam docebant. In nostra autem quaestione res aliter se habet. Etenim Paulus l. n. non imperavit, ut capitis poenas cum patientia quadam animique fortitudine tolerarent, ideo quod temporum necessitate atque periculo ad tale obsequium cogerentur, sed supplicia *ipsa* [44]), quippe quae a magistratu *deo*

---

43) Cfr. contra servorum conditionem, et apud Hebraeos, quam describit *Conr. Ikenius* Antiq. Hebraic. III. 3., et apud Romanos miserrimam. Ex horum enim jure servi erant ἀπρόσωποι, sive, ut *Cassiodorus* VI. 8. Var. dicit »personam legibus non habentes.« *Juvenalis* Sat. XVII. 21. quaerit: O demens! ita servus homo est? Inter res mancipi numerabantur, vendi et ante Claudii Caesaris tempora adeo interfici poterant.

44) Rem paucissimis indigitabo: Servitus quonam jure *imposita* esset, apostoli non exposuerunt; sed quum eam in malis, ut ajunt, necessariis ducerent, servos Christianos, quomodo ex hoc malo injuste imposito patientia sua exercenda utilitatem caperent, passim edocuerunt. Contra capitis poenas jure divino *imponi* Paulus distinctis verbis ait.

auctore imponerentur, approbavit. Quae quum ita sint, facile consequitur, ut non propterea, quia omne servitium, per N. T. non directis, ut ita dicam, verbis sublatum, postea per spiritum Christianismi evanuit, etiam supplicia l. n. haud dubie commendata ex doctrinae Christianae sensu atque indole abrogari queant. Objectionibus igitur omnibus, quoad sciam, refutatis, nullus equidem dubito, quin Paulus l. n. capitis poenam posse adhiberi demonstrare voluerit atque demonstraverit.

§. 19. Accingamus denique ad interpretandum Apoc. 13, 10. Edicto, fore, ut Satanas coleretur a multis undique populis, quum v. 9., ut ad praeconium suum aures attenderent, clara voce Apocalypseos auctor mandaverit, ita pergit perorare: si quis in captivitatem seducat, in captivitatem iturum, si quis gladio interficiat, eum oportere gladio interfici; hic contineri patientiam et fidem Christianorum. Remunerationis legem hic pronuntiatam esse patet. Illa autem verba, quum Christianorum eo tempore in hac terra vexatorum patientiam atque fidem sistere dicantur, non de humano, sed de *coelesti* judicio intelligenda esse apparet. Atqui, quum de coelesti judicio l. n. sermo sit, ea proprio sensu prorsus carent neque aliud quidquam nisi summam dei justitiam die supremo ostendendam adumbrant. Itaque, quum de justitia in his terris exercenda illic nihil praecipi demonstratum sit, locum illum hic, ubi de legum *terrestrium* inventione vel recensione agitur, amplius perscrutari omittamus.

§. 20. Finita exegetica locorum in N. T. obviorum disquisitione, ea, quae ex illis hausimus, breviter repetamus. Est igitur ejus summa, quod nullam distinctiorem quidem, qualem in Pentateucho deprehendimus, legislationem in N. T. invenimus, sed quod capitis supplicium infligere etiam ex doctrina Christiana licet, quia non solum Paulus, apostolus celeberrimus, Rom. 13, sed etiam dominus ipse Joh. 19, 10. 11. tale jus magistratui tribuit. Quid autem? quum per N. T. definitum non sit, quando morte mulctari debeat, neque ejus auctores supplicia, si res secum ferat, imposita abhorreant: num nos quidem, jus criminale ex principiis Christianis constituturi, omnes, quibus Judaei utebantur, leges, nullo examine adhibito, cooptare possumus? Absit hoc; etenim primum civitas Judaica formam ab nostris civitatibus Christianis habebat alienissimam. In illa scilicet, quae nomen theocratiae sibi vindicat, Jehova ipse summum imperium sumsisse putabatur, ita ut, qui facto quodam dei voluntatem negligeret, civi-

tatis simul principem contemsisse videretur. Quae quum ita essent, omnes cultus divini violationes ita puniendae erant, ac si crimen laesae majestatis admissum esset h. e. omnia peccata adversus Jehovam ipsiusque cultum admissa ultimis etiam poenis civilibus mulctabantur (cfr. leges de circumcisione, de sabbato etc.). Aliter res se habet in ceteris civitatum conformationibus; ibi enim quum neque deus neque dei vicarius, sed homo imperare putetur, omnia, quae res divinas, cultum divinum fidemque spectant, crimina ita habentur, quasi non ipsius civitatis, sed tantum ecclesiae, quam tueri debeat civitas, numen et dignitatem laedant. Ergo, quum nostris temporibus nostrisque terris civitatis et ecclesiae imperia seperata teneantur quumque nulla amplius existat civitas, cui forma sit theocratiae (nam Papae regnum potius hierarchia nominandum est): in deligendis legibus criminalibus illis, quae a Mose datae sunt, nos minime adstipulari posse jam ex theocratica, quam Judaeorum civitas habebat, forma conjicere licet. Accedit, quod complura facinora, quae apud Judaeos summo opere puniebantur, nostris temporibus poenarum metu vacant ideo, quod nunc criminibus non adnumerantur. Ubinam sunt illae leges religioni Judaicae conjunctissimae v. c. circumcisionis, sabbati, leges de certis cibis edendis vel respuendis, leges de corporis singulorumque membrorum lavatione? Ceciderunt adventu Christi, quippe qui fide, non operibus homines coram deo justificari doceret. Porro, quae non ita ad diversum rerum divinarum cultum spectant, quo abiere omnes eae leges, quae servitutem, etsi non commendabant, tamen haud reprobabant? Spiritus nimirum religioni Christianae insitus homines hominibus servire noluit, imaginem quippe divinam secum ferentes. Nonne deinde Christus ipse, quum illam adulteram ex lege mortem oppetere nollet, adhortatus nos esse videtur, ut, examine non instituto, nullam, quam in jure Mosaico deprehendimus, legem capitalem agnoscamus, sed ut potius Christianismi principiis ducti illas denuo definire conemur? Restat, ut de summo Christianae ethices principio, amorem dico, moneamus. Neque vero, quum praecipue a Christo amorem tanquam omnium sensuum actionumve genitorem inculcari dicam, illum jam per V. T. efflagitari equidem negaverim; sed huic virtuti minorem ibi auctoritatem tribui nec tam lucide vel ab omnibus eum doceri quisque, qui sine partium studio rem attigerit, facile concedet. Itaque, quum in doctrina Christiana amor summa sit praeceptio et quasi vinculum, quo ceterae contineantur, adeo ut

de inimicorum etiam amore nos admoneamur: legislationem ex principiis Christianis fundatam ab illa Mosaica, quippe quae Judaismi sive merae justitiae spiritum magis redoleat, multum dilaturam esse procul dubio suspicari possumus. Etenim quamquam Mosaicae et Christianae de poenarum jure praeceptiones in eo conveniunt, quod legislatoribus, si res secum ferat, jus vitae necisque pari modo attribuant, aliam tamen legislationem, si illud jus cum animo justo quidem, sed caritate vacuo, et aliam, si cum animo amoris caritatisque plenissimo adhibeatur, evadere necesse est [45]). Quibus causis ponderatis, quam supplicium capitis, si opus est, statuere legislatori Christiano licere ex N. T. compertum habeamus, nequaquam tamen leges Mosaicas supplicium capitis inculcantes statim cooptemus, sed omnem nostram operam studiumque in eo ponamus, ut investigatione denuo instituta perscrutemur, quaenam leges capitales affirmandae, quaenam rejiciendae sint et num forte ulla capitis poena, quamquam per Christianismum capite damnare liceat, hominibus imponi *debeat.*

Systematica quaestionis nostrae demonstratio.

§. 21. Quaerendum igitur est nobis, qua via constituere queamus, num et quando capitis poenam imponi necesse sit. Quae quidem quaestio non ita difficilis esse videtur, modo universum poenarum jus ideoque etiam jus necis ad civitatem nec ad ecclesiam pertinere nobiscum reputemus. Scilicet hoc civitati Christianae non est negligendum, ut videat, ne quid fidei Christianae contrarium admittat, sed tantum hoc ipsi cavendum est, neque vero eadem principia atque ecclesia amplecti debet; quo facto non amplius civitas existeret, sed ecclesia. Contra civitas Christiana omnia, quae agit, ex sua natura suaque essentia agere debet, ita tamen, ut omnia illa, quae cum Christianismi indole pugnant, respuat atque removeat. Quibus perpensis, civitati, si de capitis supplicio vel abrogando vel constituendo judicium subeat, patet hoc esse agendum, ut exploret, num ex religione Christiana poenam capitalem adhibere omnino liceat. Qua re, ut vidimus, san-

---

45) Sed cfr. *Dr. Marees Untersuchung der Verbindlichkeit der göttl. Gesetze von der Todesstrafe der Mörder und der Vermeidung blutschändrischer Heirathen. Dessau 1771.*

cta scriptura approbata, ad ipsa jam juris criminalis principia recurrendum est, ut inde definiatur, num et quando poenam illam adhiberi *oporteat*. Cogitari enim potest, huic vel illi civitati, quamvis per regulas, quas dicunt, moralitatis morte punire generaliter liceat, propter suam ipsius conditionem naturamque, quum tam atrocem poenam suis principiis non necessario efflagitatam videat, supplicia esse rejicienda. Ponamus e. g. in causa esse, cur omnes poenae civiles imponantur, sive quod hisce poenis, ne malefici ipsi vel ceteri simile quid facinus admittant, civitas praepedire velit, sive quod ab delinquentium periculo se defendere studeat. Quodsi unam ex *his* opinionibus pro principio juris criminalis habendam esse evinceretur, in civitate Christiana hanc institueremus quaestionem, num ea, finem sibi propositum re vera assecutura, capitis poenam infligere deberet; cujus poenae *necessitate* antiquata, etiamsi capite damnare per se liceret, in *hac* tamen civitate omnes capitis poenas esse abrogandas censeremus. Atqui illa, quae poenis irrogandis v. c. se defensura est, civitas, modo eam praesidiis satis firmis munitam et divitiis opibusque praepollentem cogitemus, ex illo defensionis suae principio vita privandi jus merito vix derivabit, quia copiis suis praesidiisque freta leviorem poenam eamque pro *sua* conditione satis gravem fere semper constituere poterit. Hoc enim nobis Christianis concedendum est, omnem poenam, quae necessitatis mensuram excedat nec nisi utilitatis causa injungatur, esse respuendam, siquidem ea opinio, hominum fortunas vitamque quasi in mercibus esse ducenda, unde civitas vel maximam sibi contrahere possit utilitatem, cum summo illo Christianismi principio, amoris dico, nequaquam congruit. Qua re ponderata, quanti in quaestione nostra momenti sit, verum juris criminalis proponere principium, non est, quod fusius demonstrem, quum ex hoc, num et quando supplicium capitis sit adhibendum, necessario et unice sequatur.

Eo igitur in disputatione nostra processimus, ut via systematica, quam dicunt, decernamus, num et quando in civitate Christiana ex ipsius civitatis essentia atque natura supplicium capitis approbandum sit. Priusquam vero ad singula illustranda me accingo, consilium, quod in elaboranda hac parte secuturus sum, accuratius indicabo. Primum civitatis essentiam fusius describamus simulque essentiam ecclesiae ambarumque mutuam conditionem, sed paucis tantum tangamus, propterea quod tota nostra quaestio a parte civitatis consideranda est multique, qui doctrinam

Christianam in disceptationem vocabant, a recto scopo aberrabant, quum de supplicii ultimi justitia decernerent, respectu singulorum, non civitatis habito. Quum autem disquisitionem nostram a parte civitatis definiendam esse appareat, quam maximi momenti est, verum proponere civitatis intellectum, quia ex hoc pendet, num quaestio recte et scite ad finem perducatur necne. Deinde propius ad consilium nostrum accedentes, quid summum sit totius juris criminalis principium, invenire conabimur, hac sententia imbuti, id principium, quod totius juris criminalis summum reperiatur, etiam in singulis valere criminibus, ergo etiam in omnibus his criminibus, quae capitis poenam efflagitare videantur. Tum, universo juris criminalis principio constituto, notissimas saltem causas pro et contra capitis poenam dictas percensebimus atque ex illo, quod invenerimus, principio nostram qualemcunque sententiam deducentes decernemus, num et quando supplicium adhibendum sit. Cui loco inserentur per consequentiam eae etiam quaestiones, quae interfectionis modum et auxilia et civitati et ecclesiae danda spectant.

§. 22. Quid est igitur civitas, si civitatem et ecclesiam distinguimus? Multi ita eam definierunt, ut civitatem pactum hominum liberorum dicerent ad se suasque possessiones ab alienis injuriis impetibusque defendendas et tuendas [46]). Sub voce possessionum tum imprimis vitam, honorem, libertatem civilem ceteraque bona intelligunt, quibus vita et sustentatur et amoena redditur. Cui definitioni omni modo contradico. Illi, quum ipsorum sententia de veri civis essentia perducti civitatem amplificare et augere studeant, eam institutum cautionis fecerunt; nam quis non videt, in tali civitate utilitatis principium praevalere? Conce-

---

46) Civitatem sub forma pacti alicujus cogitaverunt e. g. *Jean Jaques Rousseau:* (du contrat social ou principes du droit politique. A Amsterd. 1762. 12. *Deutsch von Schramm. Düsseldorf 1800. 8.*) et *J. G. Fichte* (*Grundlage des Naturrechts* tom. II. *Jena und Leipzig 1796*). Civitatem vero, nulla moralitatis ratione habita, externae tantum vitae incolumitati inservire atque amoenitati contendit *C. L. de Haller* (*Handbuch der allgemeinen Staatskunde. Winterthur 1800. 8. Restauration der Staatswissenschaft oder Theorie des natürlich geselligen Zustandes, der Chimäre des künstlich bürgerlichen entgegengesetzt. Winterth. 1816. 8.*). Sed cfr., quae contra illos disseruit *Hegelius* (*Grundlin. der Philosophie des Rechts. Berlin 1821.* p. 79. 242—250).

dendum quidem est, civitatem oportere singula civium bona tueri; sed ejus origo non est ita cogitanda, ut ex civium, qui civitatem sistunt, voluntate et arbitrio pendeat, num societatem inire velint, immo civitas propter naturae humanae essentiam necessaria habenda est. Etenim deus ipse, quum terrae et potestatum in ea vigentium dominatum imperiumque hominibus traderet, eos societatem et communionem inter se inire voluit, quia nonnisi mutuo auxilio tot tantaque obstacula superare possunt. Societatem deinde humanam fundavit, quum diversissima et ingenia et vires fingens homines ita instruxerit, ut demum communione facta, dum alii aliorum defectiones supplent, totum aliquid efficiant vitaeque communitate singulas vires et potestates animis suis insitas perpolire et conformare possint. Civitatem denique deus ipse optimus maximus condidit, quum hominum pectori societatis appetitum ingeneraret et commune utilitatis studium. Quod studium civitatibus constitutis coli et augeri nemo negabit, sed item patet, nunquam civitates conditas esse nec conditas constitisse, nisi appetitus ille intimo hominum pectori inhaesisset. Itaque civitatem ex essentia humanae naturae necessario prodire apparet eum in finem, ut externam singulorum vitam et incolumem reddat et conformet. Illud, quod modo disputavimus, etiam apostolus ille celeberrimus expressit Rom. 13, 1 sqq., magistratus a *deo* constitutos esse dicens. Lubenter hoc quidem concedimus, omnes fere civitates ita exstitisse, ut homines aut impetibus injuriisque sive bestiarum sive elementorum sive aliorum hominum petiti aut singulorum astutiis malitiisque oppressi securitatis tutelaeque causa se conjungerent; verum scientiae est, fortuitum ab necessario distinguere et videre, num forte ea, quae casu accidisse videantur, necessitas rerum adduxerit. Haec praefatus civitatem h. m. definio: Civitas est necessaria liberorum hominum communio, ut inde externa ipsorum vita et incolumis reddatur et conformetur [47]). Nec ita necessariam puto circumscriptionem, tanquam civitas sit communio liberorum hominum cum potentia quadam praeditorum et communibus legibus utentium. Etenim, qui civili quadam libertate fruuntur,

---

47) Quacum civitatis definitione compares quaeso *Hegelii* definitionem (l. c. p. 241.): *»Der Staat ist die Wirklichkeit der sittlichen Idee, — der sittliche Geist als der offenbare, sich selbst deutliche, substantielle Wille, der sich denkt und weiss, und das, was er weiss und sofern er es weiss, vollführt.«*

omni potentia vacui cogitari non possunt, quia, si omni potentia omnibusque opibus carerent, illam ipsam libertatem non possiderent, sed ab eorum, penes quos potestas esset, nutu et auctoritate penderent. Accuratius sane hoc additamentum civitatis essentiam exponit atque illustrat, sed in essentia ipsa non versatur. Item per se patet, liberos cives communibus uti legibus, quum vera libertas sine legibus ne cogitari quidem possit. Libertas enim legibus carens in libidinem commutatur. Jam vero, quum civitatem institutum cognoverimus et ad incolumitatem et ad conformationem externae singulorum vitae necessarium, eum, qui hoc donum divinum respuit, ipsius meliori naturae non convenienter agere sequitur. Civitatem scilicet, in qua vivimus, malam esse et injustam rati, eam cum alia commutare possumus; sed media in civitate viventem civem esse nolle nec per leges, quae exstant, civiles nec per aeternas rationis leges cuiquam licet.

§. 23. Quum autem, quid sit civitas, satis superque viderimus, restat, ut de essentia ecclesiae dicamus. Ecclesia est enim necessaria liberorum hominum communio, ut inde interna et coelestis singulorum vita conformetur [48]. Quam definitionem ut causis allatis confirmem, non est, quia simili modo invenitur atque definitio civitatis. Itaque ad conditionem ambarum mutuam describendam statim transeamus. Si intellectus, quos supra dedi, civitatis et ecclesiae veritatem attingunt, h. e. si illa externam nostram vitam, haec internam et coelestem respicit: ambo instituta divelli non posse et, sicut animus cum corpore, inter se cohaerere patet. Ecclesia civitatem consecrat eamque in communionem regni divini excipit: civitas contra ecclesiam, quam dicunt, visibilem ab externis injuriis et violationibus defendit; neque enim haec florens et vigens cogitari potest, nisi per civitatem munita. Ec-

---

48) Cfr. similes ecclesiae definitiones, quas deprehendimus in libris Protestantium symbolicis, ubi ecclesiam esse congregationem sanctorum (Apolog. Conf. IV.) contenditur, et apud *Schleiermacherum: der christl. Glaube* tom. I. p. 7., ubi haec verba leguntur: *»Eine Kirche ist nichts Anderes als eine Gemeinschaft in Beziehung auf die Frömmigkeit,«* et quae deinde hic vir dialecticae peritissimus (l. c. §. 6.) de hujus communionis necessitate dicit: *»Das fromme Selbstbewusstsein wird wie jedes wesentliche Element der menschlichen Natur in seiner Entwickelung nothwendig auch Gemeinschaft und zwar einerseits ungleichmässige fliessende andrerseits bestimmt begränzte d. h. Kirche.«*

clesia cives civitatem tanquam institutionem divinam venerari ejusque mandata exsequi docet, et principiis veri bonique propositis sola eam tueri valet. Haec enim veritas jam dudum ab omnibus agnita est, legibus etiam severissimis homines non posse compelli, ut iis convenienter vitam transigant; si amor et voluntas leges sequendi deest, hae ab regibus vel potentissimis latae sine fructu manent. Civitas contra tales tantum leges imponit, quae cum ecclesiae indole vel principiis non pugnent; ergo omnes has removet, ex quibus morum turpitudo consequeretur, quaeque, si observarentur, religiosos civium animos violarent aut ecclesiae dignitatem diminuerent. Sic merito dici potest, invisibilis Christi ecclesia oportere regat civitatem, visibilis a civitate regatur [49]). Quam arctam communionem non agnoscentes, antiquissimi populi fere omnes, Judaeis solis exceptis (hi vero ecclesiam plerumque nimis praevalere sinebant), ita civitati curam impenderunt, ut ecclesia prorsus posthaberetur et illi tantum serviret. Qua de re hoc facillimum est explicatu, quod, postquam honestatis sensus naturae humanae insitus bonique mores defecere, leges etiam in maxima civitatis potentia saepenumero spernebantur et populi ipsi tam brevi tempore sub servitutis jugum mittebantur. Sic res se habebant, donec doctrina Christiana veram ecclesiae et civitatis conditionem definivit atque illi propriam suam dignitatem vindicavit. Nunc vero, quum Christianismi spiritus tanquam summus arbiter in legibus ferendis agnitus sit, quumque de civitatis jure supplicii extremi vel admittendi vel repudiandi nos dicere oporteat, prius inquiramus, quo jure civitas Christiana omnino poenas legum violatoribus imponat, ut inde decernamus, num capitis poena afficere debeat necne. Ergo eo venimus, ut definiamus, quid sit summum principium juris criminalis, ut quae sit scientia, quae nos edocet, quo jure, quem in finem, quomodo quaque conditione civitas in cives animadvertere debeat.

§. 24. Quo munere fungentes ita rem agere conabimur, ut principia juris criminalis praecipua commemoremus eorumque rationes indicemus percenseamusque et recensione hac finita nostram qualemcunque sententiam exponamus atque illustremus. Priusquam vero ad propositum nostrum exsequendum transeamus, quatuor quasi canones sistamus, ex quibus metiemur, num princi-

---

49) Cfr. etiam, quae *Hegelius* (l. c. p. 258—273.) de mutua civitatis et ecclesiae relatione disseruit.

pium, de quo modo agatur, coeptandum sit an repudiandum. Primum principium illud ex *civitatis* essentia hauriri neque illi refragari debet; nam jus criminale est disciplina ad civitatem pertinens. Deinde quum civitatem tanquam institutionem divinam et moralem cognoverimus, omnia ejus principia, ergo etiam principium juris criminalis cum legibus *divinis moralibusque* oportet consentire. Tum illud, quod quaerimus, principium puniendi jus defendat necesse est neque delictum *boni* alicujus communicatione tolli posse ex eo sequi debet. Quod si accidit, jus criminale radicitus sublatum est. Denique ad eum finem, quem ex illo principio jus criminale involvit, etiam in *re*, quoad mente nostra assequi possimus, civitatem pervenire posse oportet. Nam finem, qui talis est, ut eum consequi non possimus, patet locum non habere in civitate, quippe in qua nihil prosint eae, ut ita dicam, theoriae, quarum *usus* nullus est.

Principia vero juris criminalis, quae in medium allata sunt, principalia haec fere sunt: principium emendationis, deterrendi, praeveniendi, necessitatis, justitiae; quorum indolem atque dignitatem jam singulatim in sequentibus percensebimus [50]).

§. 25. Principium *emendationis* [51]) poenas non imponendas esse statuit, nisi eum in finem, ut eorum, qui puniantur, mores animique corrigantur atque emendentur, modumque puniendi ita eligendum jubet, ut eum, qui bonos mores deseruerit, vere meliorem reddere valeat. Hoc quidem concedendum est, emendationis principium in cogitandi ratione prorsus Christiana et morali esse fundatum, quum non solum nosmet ipsos emendare, sed etiam

---

50) Pulcram omnium de jure puniendi theoriarum descriptionem historicam invenimus apud *Poelitzium* (*Staatswissenschaftliche Vorlesungen für die gebildeten Stände in constitution. Staaten. Leipzig 1833.* tom. I. praelect. 35. 36.), apud *A. Bauerum* (*die Warnungstheorie nebst einer Darstellung und Beurtheilung aller Strafrechtstheorien. Götting 1830.*) et apud *F. C. T. Heppium* (*Critische Darstellung der Strafrechtstheorien. Heidelberg 1829.*).

51) Principium emendationis defenderunt e. g. *Fichte* (*Grundlage des Naturrechts* tom. II. *Jena u. Leipz. 1796.*), *Grohmannus* (*Bitte und Frage für die Abschaffung der Todesstrafe. Dresden 1833. Ueber das Princip des Strafrechts. Carlsruhe 1832.*), *Benj. Rush* (*Untersuchungen der Wirkungen der öffentl. Strafen auf die Gesellschaft*). Sed cfr., quae contra monuerunt *de Arnim* (*Bruchstücke über Verbrechen und Strafen* tom. II. p. 8 etc.) et *Hasius* (*Vom Justizmorde, ein Votum der Kirche* p. 11 etc.).

aliorum animos ita permovere nos oporteat, ut vitam meliorem et praeceptis divinis accommodatiorem illi instituant; tamen emendationem summum in jure criminali principium nequaquam putaverim. Etenim primum cum eo, quem supra demonstravi, civitatis intellectu non convenit, quum civitatem dicerem necessariam liberorum hominum communionem externas vitae singulorum conditiones et tuituram et conformaturam. Animorum vero emendatio ad internam tantum vel coelestem singulorum vitam spectat ideoque summum et proprium officium est ecclesiae. Lubenter quidem hoc concesserim, poenas, quantum fieri possit, ita eligendas esse, ut ii, quibus poena imponitur, simul meliores reddantur, — hoc est enim officium civitatis Christianae, in emendandis civium moribus omni modo ecclesiae auxilium ferentis — verum si emendationem summum et unicum juris criminalis principium habemus, civitatis essentiam non agnoscimus eamque in jure criminali internae tantum singulorum vitae curam impendere jubemus. Accedit, quod ex hoc principio puniendi jus non confirmatur, sed nonnunquam adeo antiquatur. Fieri enim potest, ut is, qui injusta et nefaria facinora in alios commiserit, *beneficiis* potius acceptis emendetur, quam si poena afficiatur. Quo posito, talis homo beneficiis actionibusque gratiae debebat cumulari. Num vero bene faciendo puniat civitas? an praemia maleficis proponat? Profecto tali principio jus criminale radicitus tollitur. Denique uniuscujusque poenae finis, emendatio animi, saepenumero non est, ut attingatur. Nam quomodo *externa* vis et potestas potest permovere hominum animos, ut novam bonamque cogitandi sentiendique rationem ineant, quum leges vel severissimas ne hoc quidem valuisse, ut *agendi* nova ratio institueretur, experientiae documentis luculenter edoceamur? Quis libertatem humanam, facultatem intimo quippe pectori insitam, externis opibus, terrore vel metu cogat vincatque? Si voluntas bene agendi deest, legibus poenisque tantum hoc assequi possumus, ut maleficum palam et speciei causa bonos mores ostentare cogamus; quoties vero malam vitam occulte agendi occasio data erit, in pristina peccata iterum delabetur. Per metum simulatores fingere possumus, vere probos nunquam. Neque vero fieri posse equidem negaverim, ut poenarum genere nocentis indoli accommodato hunc nonnunquam ita permovere possimus, ut inde ansam emendationis suae sumat; sed quum ea semper ex libero illius arbitrio pendeat neque cum ve-

risimilitudine quadam conjici possit, emendationis studio summum in jure criminali principium contineri nequit.

§. 26. Principium *deterrendi* [52]) civitatem maleficis poenam irrogare jubet eum in finem, ut ceteri, quum videant, quomodo in istos animadvertatur, deterreantur, ne idem perficiant. Jam ipsum terroris nomen indicat, hoc principium ex indole doctrinae Christianae, quippe quae amorem nec terrorem spiret, non esse repetitum; terroris principium tyrannidem redolet nec cum hominum libertate divina fruentium dignitate atque auctoritate convenit. Jam vero quaerendum est, quo jure civitas terrorem incutere possit. Per necessitatem coacta, inquiunt hujus principii defensores, ut civitas conservetur. Quae quum ita sint, omnia, quae contra necessitatis principium infra dicenda sunt, etiam principium deterrendi refutant; ergo, ne idem repetamus, hic taceamus. Discrimen vero hujus principii in eo consistit, quod maleficus punitur, ut ne *ceteri* idem facinus perpetrent. Quae sententia omnino refellenda est. Etenim homo quisque non res, sed persona est; ergo in commodum aliorum malis affici nequit. Eandem veritatem ita quoque exprimere possumus: unusquisque *sua* causa creatur, non ut dignitate sua violata, ceteros emendandi fiat instrumentum. Denique hoc principio nihil de poenarum modo atque mensura definiri patet, modo id civitas assequatur, ut singuli poenarum minatione a delictis arceantur. Quodsi non severissimae gravissimaeque deligantur poenae, sed quantum fieri potest levissimae, aliud quod proprie illi principio non inest momentum, amoris scilicet vel justitiae, fortuito adjungitur [53]).

---

52) Cfr. praesertim *J. D. Michaelis Mos. Recht* lib. VI. praefat. *Caesaris Von dem Zwecke der Strafe. Feuerbachii Lehrbuch des peinl. Rechts. Giessen 1832.* §. 8. — §. 18. *Ejusdem Revision der Grundsätze und Grundbegriffe des positiven peinl. Rechts.* tom. II. *Erfurt 1799. 8.*

53) *Feuerbachius* (*Lehrbuch des peinl. Rechts* §. 13.) hoc dicit: *Jeder weiss, auf seine That werde unausbleiblich ein Übel folgen, welches grösser ist als die Unlust, die aus dem nicht befriedigten Antrieb zur That entspringt.* Itaque poenae mensuram illam, quam quis ex facinore quodam peragendo percipiat, esse voluptatem docet. Sed undinam voluptatis illius magnitudinem comperimus? Scilicet, qui de ea recte judicare velit, in intimam animae humanae officinam intrare debet. Deinde secundum illum non facinus ut tale, sed quae illud genuit animi intentio et voluptas pro

§. 27. Intellecto, hominem nunquam pro instrumento posse haberi, principium *praeveniendi* 54) excogitatum est, quod maleficum ipsum poenis irrogandis a similibus factis vult arcere. Hujus quidem propugnatores causam poenae eo contineri dicunt, quod, sicut experientia doceat, homo se in futurum semper ex legibus acturum nunquam firmiter adseverare possit; hoc vero concesso ceteris a malefico semper periculum imminere appareat. Verum enim vero non est quod in eo, quem supra dedimus, civitatis intellectu hoc principium cooptemus, quippe quod necessitate civitatem ad poenas decernendas adduci ponat. Si igitur necessitate unicum jus, cur puniatur, non contineri infra demonstrabitur, eo ipso concidit. Accedit, quod poenae intellectus in hoc principio locum habere non potest. Nam poena etiam in universum considerata semper delictum quoddam praecessisse ponit; ex illo autem principio, magis *ante* delictum, quam *post* delictum punire licet. Neque vero eum, qui semel facinora commiserit, in futurum etiam peccaturum veri simillimum esse equidem negaverim; sed haec conjectura — nam ita tantum appellari potest — jus puniendi non dat civitati, quia hominem etiam scelestissimum ad viam bonam rectamque posse regredi fide Christiana censere cogimur. Itaque quum a judicibus flagitet, ut, si justas poenas decernere velint, vere praesciant, num maleficus etiam impunitus legitimam vitam transacturus sit (id quod praescire nequeunt), hoc principium prorsus rejiciendum est. Quid tandem? nonne quis-

---

poenarum norma habenda est. Quae quum ita sint, omnia, quae minorem animi propensionem gaudiumque manifestant, delicta, etiamsi major inde civitati pernicies exoriatur, levioribus poenis sunt coercenda; v. c. homicidium inconsulte perpetratum levius est puniendum, quam furtum vilissimae cujusdam rei, quod summo cum gaudio consilioque commissum sit. In tales errores per consequentiam inciderunt, qui regulas quasdam, ut ita dicam, psychologicas inmiscentes deterrendi principium summum in jure criminali principium fecerunt.

54) C. *Grolmannus: Über die Begründung des Strafrechts und der Strafgesetzgebung. Giessen 1799. Idem: Sollte es denn wirklich beim Zwangsrecht nur Prävention geben?* qui tractatus reperitur in ejus: *Magazin zur Philosophie und Geschichte des Rechts.* tom. I. part. 2 et 3. *Tittmannus Handbuch* der *Straf. R. W.* tom. I. p. 101 etc. Contra quos scripsit *Feuerbachius: Ist Sicherung vor dem Verbrechen Zweck der Strafe und ist Strafrecht Präventionsrecht* (*Biblioth. d. peinl. R.* tom. I. part. 2. № 1.)?

que contra leges agere *potest?* Quae facultas quum negari nequeat, unusquisque periculosus haberi ideoque puniri potest; quo concesso, vel maxima tyrannorum saevitia justa declarata est.

§. 28. Qui vero principium *necessitatis* 55) amplectuntur, civitatem poena afficere contendunt necessitate coactam, quia, nisi hoc faceret, leges omnem vim auctoritatemque amitterent, tranquillitas et salus in terris nulla esset et civitas ipsa exsistere desineret; ut paucis dicam, poenarum causam necessitatem et finem civitatis conservationem putant. Quum autem civitas ad singulorem conformationem necessaria sit, quumque nisi poenis imponendis conservari nequeat, jus criminale ratione comprobari patere. De modo, quem in definienda quaque poena adhibitum volunt, ita praescribunt, ut poena decernenda semper gravior sit quam usus, quem maleficus ex delicto suo perceperit. Tota igitur haec argumentatio in causa defensionis necessariae fundata est: qui civi injuriam aliquam infert, hostis civitatis habetur, qui vi et poenis coercendus est, ne civitatem ipsam evertat. Hoc quidem certum est et experientiae documentis affirmatur, fieri non posse, ut omnes leges poenam decernentes tollantur, nisi ut vita simul et singulorum possessio summo periculo exponatur et civitas radicitus evertatur; prius illae leges dissolvi nequeunt, antequam pravitas morumque turpitudo ex societate humana omnino exierint. Sed hoc quaeritur, num civitatem omnibus praesidiis auxiliisque bene munitam in ista defensione necessaria perseverare deceat, nec potius principium ex ipsius essentia repetitum inveniri possit, quod ipsi jus puniendi impertiat. Etenim, si singuli in conditione naturali vivunt, et ad sui defensionem coguntur, hoc in malis ducunt atque ob hoc ipsum civitatis communionem formant, ut mancam illam conditionem effugiant. Quod vero in singulis vitium putandum est, neque in societate multorum bonum aliquod esse potest. Jam vero necessitatis principium cum nostro civitatis in-

55) *Hasius* (l. c. p. 25 etc.). *G. E. Schulzius Leitfaden der Entwickelung der philosoph. Principien des bürgerl. u. peinl. Rechts. Göttingen 1813.* 8. *De Weber Über das Studium der Rechtswissenschaft u. insbesondere der Str. R. W. Tübingen 1825.* p. 95. *Dr. Paulus: das Neueste über das polit. Problem, ob der Staat kein Recht habe am Leben zu strafen? oder ob durch die Criminaljustiz eigentlich der Teufel u. die Sündhaftigkeit bestraft werden müsse (Annalen für Geschichte u. Politik von Dr. Weick 1833.* tom. 1 et 2.).?

tellectu pugnat. Nam ea quam nos intelligimus civitas externam singulorum vitam non solum incolumem reddere, sed etiam conformare debet. Conformatio civium et educatio ad externam vitae rationem recte instituendam summum est et principale civitatis officium; hoc munere si fungitur, ea demum fit divinum quoddam et morale institutum. Neque tamen intelligi potest, quomodo civitas cives conformare queat, si necessitatis principium sequatur. Etenim poenis imponendis conformare et excolere civium animos civitas non potest, nisi in jure criminali tale principium constituat, quod, quum ad naturam humanam aptatum sit, homines ad puriorem et meliorem sui ipsius cognitionem perducat: ut aliis verbis utar, nisi juris criminalis principium ideam aliquam naturae humanae inhaerentem manifestare studeat, cives excolere non valet neque civitate Christiana dignum est. Qui civitatem incolumitati tantum civium curam impendere dicunt, principio necessitatis contenti esse possunt; qui vero etiam civium conformationem in ejus officiis ducunt idque in summis officiis ducunt, his quidem aliud principium inveniendum est. Deinde illud principium in civitate munimentis praesidiisque satis instructa non cooptandum esse etiam ex modo patet, quo praescribunt, ut puniatur. Dicunt enim poena semper gravior sit oportere, quam usus, quem ex delicto suo maleficus perceperit. Talem puniendi rationem prorsus externam esse quis non intelligat? et num — hujus enim principii defensores argumentationem totam ex experientia petunt — num, rogo, re vera, qui idem perpetraverunt eundemque usum inde perceperunt, eadem poena mulctantur? Equidem nego neque rem ita se habere posse assero; sed, ut sententiam meam magis illustrem, exemplum adjiciam. Homo aliquis alteri fruges fraudatur, ut huic, quem magnopere odit, damnum aliquod inferat. Alius vero, quum non habeat, quod edat, quumque maxime fame crucietur, ita ut, nisi edat, ex vita ipsi decedendum sit, ex illius frugibus et ipse sumit. Uter igitur majorem poenam commeruit? Ambo sumserunt bona alterius idque eadem bona totidemque uni eidemque homini abstulerunt. Quod ad externam speciem attinet, eorum actiones eaedem sunt. Hoc tantum discriminis est, ut, qui ad famem suam coercendam fruges sumsit, majorem utilitatem inde ceperit; etenim hic vitam suam servavit, ille inhonestum tantum vindictae studium satiavit. Itaque, si praeceptum illud de eligenda poena sequimur, eum, qui necessitate coactus fruges sumserit, gravius puniendum esse sequitur. Tantum vero abest, ut poenis

in hunc modum constitutis civitas conservetur, ut populus potius in intimo pectore, cui ingeneratum est studium facinora ex consilio auctoris ponderandi, ea jurisdictione magnopere irritetur, et si judicia talia repetantur nec precibus corrigantur, ad tumultus adeo et motiones adducatur. In tantum vitium delapsi sunt, quum in definiendo poenarum modo fructum tantum respicerent atque usum, quem maleficus ex facinore suo acciperet; honestatis scilicet sensum, ex quo facinus prodiit, una cum illo fructu respicere non poterant, quia tum ideam justitiae tanquam summam in poenarum delectu arbitram agnovissent.

§. 29. Principium denique *justitiae* [56]) poenarum causam et finem dicit contineri idea justitiae remunerantis vel ea actionis alicujus aestimatione, quae sequens malum vel poenam statuat non solum ex utilitate, quam maleficus inde perceperit, vel ex damno, quo alium affecerit, sed etiam ex cogitandi sentiendique ratione, qua imbutus facinus aliquod perpetraverit. Etenim eatenus tantum homo libertate quippe praeditus rem aliquam suam putat, quatenus ipsius voluntate confectam videt; quae supra acciderunt, fortuito accidisse merito censet. Atque primum quidem hoc principium ad civitatis naturam supra expositam aptatum esse evincendum est. Jam vero civitas ita descripta est, ut externam civium vitam non solum incolumem reddat, sed etiam conformet et perpoliat. Atqui haec conformatio eo tantum effici potest, quod omnes illae, quae in singulis deprehenduntur, ideae cum sinceritate quadam et veritate ab civitate manifestantur; sic quum agat, singulos demum conformandi et instituendi vim exercet. Neque potest civitas ita non agere, quum complexus singulorum sit cogitanda quumque, cui incumbunt singuli, etiam singulorum consociationem incumbere oporteat. Quis autem justitiae ideam conscientiae singulorum inhaerere neget? Scilicet hoc concedendum est, apud singulos facillime hanc ideam animi motibus perturbationibusque inquinari atque in vindictam commutari; sed civitatis est, ejus sinceritatem et venustatem in singulorum conscientiis excitare ibique ut victoriam reportet, omni modo efficere. Nec potestas deest hoc faciendi. Etenim, simulac civitas jus puniendi sibi vindica-

56) *J. Kantii Metaphysische Anfangsgründe der Rechtslehre. Königsb. 1797.* p. 197 etc. *Zachariae Anfangsgründe des philos. Criminalr. Leipz. 1805. H. Richteri das philosoph. Strafrecht. Leipz. 1829.* p. 96. 100. *Hegelii Grundl. der Philos. des Rechts.* §. 100—103.

vit, omne partium studium, odium et amor, denique omnis animorum perturbatio tacet neque impedit, quominus vera alicujus rei conditio exquiratur. Cui nostrae opinioni favet historia vel ipsa, quippe quae antiquissimis temporibus singulos vel privatos propria manu vindictam sumsisse, tum puniendi jus ad civitatem deceat transtulisse, ut justitia vere exerceretur, non ut civitas tantum conservaretur. Deinde, *justitiae* principio cooptato, verus demum poenae intellectus gignitur. Tum enim poena est mala delicti alicujus consequentia, quam homo suamet culpa sibi ipsum paravisse intelligit. Nunquam poenae magnitudo pugnat cum testimonio conscientiae, nunquam illa moralem naturam gravius commovet hominis, quippe qui ea se dignum esse sentiat; et sicut ipse judicium justum putat, sic neque societas approbare illud et sancire cunctatur. Jam vero sine propria rei condemnatione et sine condemnatione civitatis poena vero effectu privatur neque amplius poena est, sed immerita martyris calamitas.

At, objiciat nobis aliquis, quomodo tu justitiae principium cum doctrina Christiana, quae omnes homines jubet amari, convenire potes evincere? quomodo is, qui amat, poenas irrogare potest? Neque haec dubitatio, si veritatem attingit, ita parvi nobis quidem ducenda est, quia omnia civitatis principia doctrina Christiana esse fundanda ipsi contendimus. Qua in contemplatione hoc est prae ceteris tenendum, Christianismo civitatis essentiam atque proprietatem nequaquam posse tolli, sed eam tantum emendari atque corrigi. Etenim, si vera civitatis proprietas tolleretur, divinum quoddam institutum, quod est civitas, alia divina institutione prosterneretur h. e. divinum cum divino pugnaret, id quod cogitari nequit. Ita fit, non ut summum juris criminalis principium idem esse debeat atque summum Christianismi principium (qua re civitatis proprietas manere desineret), sed ut illud discrimine quodam et proprietate gaudere queat, nec tamen tanta, ut civitatis et ecclesiae principia opponi sibi videantur. Quo facto haec, quemadmodum nulla illius similitudine et communitate frueretur, sic etiam illam, si rectum et legitimum excederet modum, omnino non corrigere vel emendare posset. Itaque, quum juris criminalis principium justitia remuneranti contineri ex ipsa civitatis essentia pateat, illam justitiam cum doctrinae Christianae principio, amoris scilicet caritatisque sensu, omnino convenire nequaquam evincendum, sed tamen illam cum hoc non pugnare demonstrandum est. Atqui justitia et amor sibi non repugnant; immo

verus amor ne cogitari quidem potest, nisi particeps sit justitiae. Sin amor justitiae sensu caret, mollis et omnibus regulis destituta animi proclivitas fit beneficia faciendi, neque amplius in virtutibus numeranda est. Cum justitia punire nobis licet, cum odio 57) nunquam. Deinde illud argumentum etiam ex proprio Christianismi fonte refelli potest. Etenim per libros scripturae sacrae deus non solum amorem habere dicitur, sed etiam τὴν ὀργήν h. e. justitiam poenis improbis constituentem. Atqui nos sumus imago dei; ergo nos et ipsos justitiae studio natura duci patet. Quod vero in deo optimo maximo summa virtus putanda est, neque in nobis vitium putari potest. Quae deinde contradici solent, haec tria fere sunt: Primum, si idea justitiae, inquiunt principii nostri oppugnatores, necessario ad civitatis naturam pertinet et justitia destinatio fortunae est ad moralitatem aptata, humanarum etiam cogitationum consiliorumque honestatem vel turpitudinem civitati dijudicandam esse sequeretur, id quod fieri nequit, quia animi intentio demum ex illis, quae aguntur, intelligi atque perspici potest. Quibus objiciendis ostendunt se ignorare, quando civitati justitiam suam exercere licitum sit. Patet enim illam tum demum punire posse, quum injuriis sit affecta. Atqui injuriae inferri nequeunt, nisi si quid agitur, nimirum verbis vel factis. Itaque, quum cogitationibus sensibusque civitati injuria non inferatur, nec civitatis est haec punire. Deinde mirum esse objiciunt, quod civitas, quum mala facinora poenas sequi jubeat, non

---

57) Quacum argumentatione cfr. ea, quae *Herbartus* (*Allgemeine pract. Philosophie. Göttingen 1808.* p. 202.) de poenarum natura disseruit. Vult enim nobiscum poenarum modum atque mensuram definiri idea remunerationis, sed earum finem versari in delinquentium aut emendatione aut metu. Sed vereor, ne unum cum altero poni nequeat. Etenim, si e. g. emendationis causa poena quaedam constituitur, omni certe modo id agendum est, ut finis ille attingatur; ergo etiam inde poenae mensura atque species destinanda est. Quae quum ita sint, accidere potest, ut poena ex idea remunerationis constituta major aut minor sit quam pro illo emendationis fine; quo facto aut illa negligenda est aut hic attingi nequit. Deinde, si remunerandi causa poena imponatur, semper speciem aliquam male volendi adesse ille vir sagacissimus contendit. Recte quidem, si ab iis, quibus injuria illata est, vindicta sumitur. Verum enim vero, simulac punitio ad civitatem transierit, non amplius punitur, ut maleficus doloribus calamitatibusque afficiatur, sed ut civitatis justitia manifestetur.

simili modo justitiae idea adducta, praemia proponat iis, qui vitam bonam agant eamque legitimam. Verum hic iterum observandum est, justitiam praemia concedentem civitati non esse exercendam, nisi ipsa beneficia acceperit. Tum scilicet praemia concedit eo, quod res bene gestas publice agnoscit, quod viros bene meritos honoribus amplificat etc. Denique fieri posse negant, ut moralis animi conditio, quacum facinus aliquod committitur, tam accurate definiatur, ut vera et divina justitia possit exerceri; nam homini non esse eandem cordis humani cognitionem atque deo. Cui respondemus hunc in modum: *Facinus* quoddam, quo societatis humanae jura laeduntur, neque moralem tantum animi conditionem, nullo illius facinoris habito respectu, puniri jubemus. Ergo principalis poenae norma semper facinus est et esse debet. Verum in considerando illo facinore non acquiescimus, sed fontem, ex quo illud natum sit, simul indagamus requirimusque. Etenim in percensendo puniendoque quodam crimine animi motum conditionemque, propter quam hoc admissum sit, *una* cum magnitudine damni, quod inde alius perceperit, respicere cogimur, nisi hominem, libertate quippe praeditum, dedecorare et animalibus rationis expertibus immiscere conamur. Manifestum quidem est, quum, quatenus facinus quoddam cui imputandum sit, non solum ex hoc singulo facto, sed ex tota priori nocentis vita decernatur, talem computationem cum summa verisimilitudine, immo veritate solere fieri, praesertim quod eo perfectionis animi humani cognitio [58]) processerit. Tamen concedendum est, errare humanum esse neque apud homines tantam scientiam inveniri quantam apud deum. At proptereane civitas justa esse desinat, quod *divinam*

58) Quominus in naturam talis imputationis accuratius inquiram, impedior ego et commentationis nostrae spatio et tempore. Sed qui sibi persuadere velit, de ea quid novissimis temporibus disputatum sit, cfr. *Heinrothii über das falsche ärztliche Verfahren bei criminalgerichtl. Untersuchungen zweifelhafter Gemüthszustände. 1828. Ejusdem Grundzüge der Criminalpsychologie oder die Theorie des Bösen in ihrer Anwendung auf die Criminalgerichtspflege. Berlin 1833. Grohmanni Mittheilungen zur Aufklärung der Criminalpsychologie u. des Strafrechts. Heidelberg 1833. Groosii Untersuchungen über die moral. u. organ. Bedingungen des Irrseins u. der Lasterhaftigkeit, Ärzten u. Rechtsphilos. zur Würdigung vorgelegt. 1826. Ejusdem Nachwort über Zurechnungsfähigkeit. 1828. Ejusdem Schüchterne Blicke in die Tiefen der Philosophie. 1832., mit einem krit. Nachwort über Geistesstörung.*

justitiam exercere non possit? Quod argumentum si alicujus momenti volunt haberi, in nulla singula virtute homini elaborandum, quia in ea semper deo erit imperfectior, demonstrandum iis est. Refutatis igitur, quae contra principium justitiae proferuntur, jus criminale, quod ex civitatis essentia necessario sequi atque in idea aliqua morali fundatum esse demonstravimus, coram tribunali rationis et doctrinae moralis probatum est ideoque ad civitatem jus puniendi, ad cives vero officium poenas constitutas subeundi pertinere patet.

§. 30. Sic singula, quae traduntur, juris criminalis principia perscrutatus, si meam qualemcunque sententiam breviter componam, ex re egisse mihi videor. Patet principatum deferendum esse justitiae punientis ideae, quam per tres rationes consideramus, primum quatenus juris criminalis principium constituat, deinde quatenus animadversionis norma sit putanda, tertio quatenus principium sit in eligendo poenarum modo. Remuneratio principium est juris criminalis. Haec sententia tum demum ad veritatem accedit, si poena justitiam tantum ideoque necessariam quandam in legis violatorem reactionem exerceri significat. Remuneratio, quum tali sensu utatur, norma animadversionis est putanda h. e. ea ex culpa sumenda atque huic exaequanda est: poena ita deligenda est, ut non plus vel minus, quam commeruerit, nocenti inferat. Poena igitur non solum ex utilitate, quam ille perceperit, vel ex damno, quo alium affecerit, sed etiam ex ratione consilioque, quo imbutus facinus aliquod admiserit, destinanda est. Remuneratio denique principium est in eligendo poenarum modo. Hoc non ita est sumendum, quasi nocenti idem tolerandum sit, quod fecerit vel violaverit, quemadmodum per talionem antiqui juris definitum erat. Jam dudum illam neque ad exitum perduci posse neque justitiae sensu approbari demonstratum est, quum externam remunerationem et verba prementem flagitet et tantum absit, ut cum necessario illo secundo remunerationis principio conveniat, ut non aequabilitatem poenae et culpae, sed contrarium potius efficiat. Aequabilitas, quae in verbis quidem cernitur, tollenda est, ut aequabilitatem in re adipiscamur, atque in locum specialis compensationis generalis compensatio, nimirum pretium in universum, substituenda est.

Vindicata igitur justitiae remunerantis in jure criminali vi *definitiva*, quaeritur, quod vinculum inter hancce et illas, quas supra laudavi, theorias intercedat. Etenim, quum ex antiqui ju-

ris historia pateat, illas nonnunquam esse applicatas, quatenus et quando applicandae sint, brevius indicabo. Ceteros autem emendare summum esse Christianorum officium jam supra diximus. Quae quum ita sint, Christiana etiam civitas civium emendatione, quantum poenis impositis fieri possit, nequaqum supersedere debet, modo id videat, ne justitiae, quae eodem, quo peccatum est, modo puniri jubeat, ideam in puniendo negligat. Mensura igitur poenarum semper ex delinquentium culpa sumenda est, sed puniendi genus — nam propriam talionem nos non defendere modo explanavimus — nonnunquam eligi potest, quod ad illorum mores emendandos probabiliter valeat. Si quis v. c. ebrietate vel ignavia ductus crimen aliquod admiserit, ita puniri potest, ut illis vitiis non amplius indulgere queat vitaque temperanti et strenua instituta in dies magis magisque ad suimet ipsius conversionem ducatur. Deterrere deinde et cohibere a delictis aut non perpetratis aut iterum perpetrandis etiam valent leges justitiae idea dictatae, modo hae palam promulgatae et ab omnibus cognitae sint et poenas, quas minantur delinquentibus, certissime exigi omnes compertum habeant. Immo poenae, quae ex nostro principio injunguntur, quum, qui eas subire debeant, se eas commereri sentiant, majorem vim potestatemque in delinquentium animos exercebunt, quoniam nimiis poenis iisque injustis ad tempus quidem deterreri poterit, tandem vero aut omnis poenarum metus atque fructus tolletur aut populus de magna legum injustitia et saevitia questus per vim tumultusque novam legislationem anquiret. Denique, quid veritatis insit necessitatis principio, paucis indigitabimus. Hanc theoriam ii excogitaverunt, qui civitatem ad hominum conformationem necessario postulari historiae experientiaeque documentis edocti omnia, quae illius conditionem et securitatem in periculum adducant, delicta severissime puniri censent. Concedimus gravissimam talium delictorum punitionem, quam nos eo magis postulare cogimur, siquidem civitatem tanti facimus, ut non modo sit conditio moralitatis atque fundamentum, sed ipsa moralitas patefacta h. e. quatenus manifestatur et conspicitur. Tantam vero auctoritatem tantamque dignitatem quum civitati tribuamus, ejus conservationem substantiale in jure criminali principium habere non possumus, sed illud in justitia, quae est moralis idea, fundatum esse jam supra vidimus. Delictum autem quodque, dum ponderatur, duplici modo judicandum est, primum quatenus singulorum jura violaverit, deinde quatenus totius societatis, ut quae

ea legibus publicis sanciverit, auctoritatem contemserit. Secundo igitur loco consideratio, quatenus ex actione quadam injusta toti civitati periculum immineat, continetur, quae quidem consideratio ad delictum [59]) aut ex quantitate aut ex qualitate sua definiendum facit; ita ut, quanto periculosius facinus aliquod civitati habetur, tanto gravior ab idea remunerationis postuletur mulctatio. In qua tamen re semper hoc est tenendum, quo firmior et munitior evadat societas, eo mitius singula delicta esse punienda. Quam consecutionem causis allatis fulcire supervacaneum habeo, quia civitati copiis opibusque praepollenti minus periculum ex actione illegitima imminere, ergo delictum ipsum leviori illo periculo imminui confestim apparet.

Jam vero, quum justitiae ideam in jure criminali obtinendam esse demonstraverimus, quaeritur, num jus, quod dicunt, dispensationis [60]), quod penes regem est, cum idea illa vere congruat. Etenim, si non congruere evincitur, tollendum est. Atqui leges, quum ad populorum mores et ingenium cultumque accommodandae sint, temporum progressu variantur atque commutantur. Ergo fieri potest, ut tum antiqua lex immutetur oporteat, dum quis ex illa puniendus est. Similiter res se habet, si lex universalior est quam pro casu, de quo quaeritur. Quae ubi acciderunt, aliae leges eaedemque ad praesentia et tempora et res aptatae ferendae et substituendae sunt. Leges vero dandi et commutandi potestas penes principem est, judicis tantum est videre, quid peccatum sit, et hoc ad singulas quae exstant leges aptare. Tantum igitur abest, ut jus dispensationis cum justitiae idea pugnet, ut haec potius, nisi illud in occasionibus modo descriptis locum haberet, prorsus violaretur. Denique principem veniam dare oportet, si

---

59) Illa consideratio ad delicti quantitatem spectat atque illud auget. Etenim, si quis v. c. fraudem admiserit, quum iteratis fraudibus civitatis vim atque auctoritatem summopere debilitari atque frangi appareat, delictum ipsum exaggeratur. Consideratio deinde illa semper ad *qualitates* delicti alicujus describendas facit. Etenim quemadmodum in fraudis qualitatibus numeratur aliorum deceptio, alieni juris violatio, facinoris intentio: *una* ex fraudis qualitatibus etiam erit id, quod inde civitati immineat, periculum.

60) Cfr. *Hanneckenii* de jure gratiae principis Christ. in reos noxae capitalis, deinde *Thomasii* de jure aggratiandi principis evangelici in causis homicidii. Jen. 1739., nec non *Kleinii über Begnadigung u. natürliches Strafrecht* (*Arch.* tom. VI. p. 4. № 1.).

causa quidem ipsa quem arguere videtur, animo vero humano rem aliter se habere persuasum est. Etenim poenae tum ex legibus impositae, quum populi approbatione carerent, effectu suo non amplius fruerentur neque cum justitiae principio convenirent, quippe quod internam quoque accusati conditionem respiciat. Exemplum talis gratiae splendidissimum etiam nuperrime vidimus, quum *Fonkius* ille, quamquam judices causa ipsa adducti capitis eum condemnabant, Friderici Guillielmi, regis Borussorum, jussu cum omnium cordatorum consensu gaudioque morte absolveretur. In quo genere hoc tamen monendum est, principem, quamvis jus poenas per veniam diminuendi re vera possideat, tamen eo uti non oportere, nisi haec, quae modo descripsimus, evenerint: sin minus, ideam justitiae laedi populique, qui libertatem suam legibus munitam videat, numen atque dignitatem violari manifestum est.

§. 31. In antecedentibus quum de summo juris criminalis principio satis superque disputatum sit, eo processimus, ut quaeramus, quid supplicii ultimi ratione habita, ex eo quod nos invenimus principio sequatur. Etenim, quod summum in eligendis *omnibus* poenarum generibus putandum est principium, etiam in capitis poena valere patet.

Notum est, ab antiquissimis inde temporibus supplicium inter omnes fere populos esse impositum. Ab initio quidem, quum civitates formarentur, idea justitiae animo humano ingenerata modo prorsus voluptario et libidinoso se manifestabat: vindicta petebatur et si quis interfectus esset, vindicta sanguinis. Necati filius vel si filium non habebat, is qui proximis propinquitatis vinculis cum eo conjunctus erat, summopere — hoc enim in summis officiis habebatur — id meditabatur, ut interfectore patris occidendo hujus ignominiam injuriamque ulcisceretur; quo facto coelorum amoenitate demum et otio illum frui posse credebant. Sed ubinam caedium finis? Iterum homicidium ulciscendum erat et qui modo vindicabat, tum vindicandus erat. Sic factum est, ut familiae virorum numero potentiaque etiam praepollentes mutuis caedibus multos per annos implicitae tandem prorsus exstirparentur. Cui malo ut mederentur, legislatores prudentiores mandavere, ut ad judices omni partium studio alienos, qui ex communi eligebantur, causa unaquaeque referretur. Verum enim vero accusatio nondum ad civitatis officia pertinebat nec, simulac sanguinis vindex pecunia vel aliis artibus reconciliatus in judicium venire

praetermittebat, homicidii adeo ulla ratio habebatur. Etiamtunc regnabat vindictae libido, quae concessis utilitatibus placari poterat; nondum idea justitiae hominum animos movebat. Sed quanto magis civitas in dignitate sua atque destinatione conscia fiebat, tanto magis, ut ideam illam ad effectum adduceret, operam navabat. Itaque publice accusatores fiscique procuratores et judices electi sunt, qui civitatis legumque auctoritate de omnibus, quae intra fines suos accidebant, delictis decernerent. Quae judicia ut tota Germania sensim sensimque adhiberentur, cum maxime effecerunt judicia vemica Westphaliae, quorum assessores jurabant quodque delictum se ulturos et si is qui injuriis affectus esset recusaret, quominus coram legitimo judice jus suum persequeretur, nocentem ipsos ad judicium clam vocaturos et si vocatus non compareret, occultis armis et sicis, ubicunque deprehenderent, punituros. Itaque, quoad rerum humanarum historiam memoria teneamus, jus necis sive a singulis sive a civitate exercitum est, nemine in dubitationem vocante, num capitis poena afficere liceat. Primum quidem illud jus oppugnavit *Beccaria*, quum scriberet librum titulo inscriptum: dei delitti e della pene. Neap. 1764[61]); post quem tam acre certamen et juris consultorum et morum praecepta tradentium et philosophorum hac de causa exortum est, ut bene et scite agere videamur, si ea, quae pro et contra supplicii impositionem dici solent, pro nostris viribus singulatim et indicemus et illustremus et dijudicemus atque tam demum nostram qualemcunque sententiam proferamus.

§. 32. Qui supplicium capitis abrogandum esse putant, praecipue haec argumenta in medium proferunt:

a) Si jus[62]) capitis poenam imponendi penes civitatem esset,

---

61) Liber ille saepenumero in linguam vernaculam translatus et additamentis auctus est v. c. ab *Hommelio* et a *Berghio*, qui illum Diderоti annotationibus instructum a. 1798 Lipsiae denuo edidit. Eodem fere tempore, quo Beccaria, *Sonnenfels*, capitis poenam abrogaturus, scripsit: *Grundsätze aus der Polizei-, Handlungs- u. Finanzwissensch. Wien 1765.* tom. I. §. 337.

62) Omnia quae adversus civitatis jus capitis poenas constituendi hic et infra referuntur argumenta statim rejicere possem, quoniam civitatibus Christianis tale jus convenire via exegetica demonstravimus eamque ob causam nobis quidem non amplius quaerendum est, num illud jus ad civitatem re vera pertineat, sed tantum, num ab ea ad effectum adducatur necesse sit: id quod nisi juris

vitam etiam suam in manus civitatis tradendi officium ad cives pertinere sequeretur. Jus enim unius partis semper alterius officium ponit. Atqui singulus homo ne jus quidem, nedum officium, vitam civitati committendi habet, quia vita non per vires humanas atque facultates acquiritur, sed a deo condonatur neque hoc bono si quis privatur, ejus conformatio procedere potest. Sicut sibi ipsum mortem consciscere non decet, sic neque civitati quemquam jus in vitam suam decet concedere.

Lubenter quidem concedimus, omnem vim ipsius vitae illatam in vitiis esse habendam, ideo quod partim voluntatis debilitatem atque imbecillitatem ponit, partim testimonium est levis fidei, quae deo optimo maximo habetur, qui quidem homines calamitatibus affici sinit, ut aut illis, qui jam bono honestoque incumbant, ansam praebeat animi firmitatem et constantiam ostendendi, aut eos, qui in malam partem abierint, castigando ad mores emendandos producat. Nunquam homini sibi ipsum mortem consciscere licet. Item concedimus, vitam unicam humanae conformationis esse conditionem ideoque plurimi ducendam. Sed quum vita eo demum dignitatem suam pretiumque nuncupet, quod in ea conditio cernitur, sine qua homo destinationem suam, ut ingenium viresque insitas excolat moresque meliores reddat, adipisci non possit: haec majora bona putanda eorumque ut compos fiat, homini vitam adeo in discrimen dandam esse apparet. Atqui civitas bonum est morale et quod ratione humana efflagitetur; ergo vitam suam in potestatem civitatis tradendi jure unumquemque uti patet. Verum non solum jus tale cuique est, sed etiam officium. Etenim civitatem ad singulorum vitam conformandam prorsus necessariam esse, nec licere homini, etiamsi lubeat, extra civitatem vivere supra (§. 22.) demonstravimus.

b) Vitam in potestatem civitatis tradere stultum est, quia in civium societatem atque communionem ideo excipi volumus, ut omnia nostra bona ab injuriis impetibusque tueamur defendamusque. Atqui vita primum inter illa bona locum obtinet nec vita privatis quidquam prodest ceterorum bonorum incolumitas.

Hoc argumentum quum ex illa de civitate opinione sit repe-

---

criminalis principio indagato definiri non posse vidimus. Ponamus tamen, nihil doctrina Christiana de jure necis esse praescriptum videamusque, num ex ipso, quem supra dedimus, civitatis intellectu objectiones istae refutari queant.

titum, quae huic externis tantum civium bonis curam impendendam esse dicat, confestim cum jure nostro respuere possemus: attamen hac ipsa circa civitatis naturam sententia cooptata videamus, num res ita se habeat. Singulum hominem, quum in civium societatem excipiatur, omnia sua bona velle tueri contenditur. Sit ita. Ergo etiam vitam idque maxime vult tueri. Qui vero hoc fieri possit, nisi civitatis principium approbet, omnem homicidam, ubi eum consilio et conscientia facti interfecerit, iterum esse interficiendum? Quanto pluris vitam putat, tanto graviorem poenam ejus violatori imponendam esse eum censere oportet. Atqui, siquidem postulat, ut injuria aliqua, quae sibimet ipsi vel suis inferri possit, capitis poena puniatur: si quando tale facinus admiserit, capite se quoque damnandi potestatem civitati tribuere et ipsum decet. Simili modo civis unusquisque, si bella oriuntur, civitatis jussu arbitrioque summis periculis atque adeo morti vitam exponit, neque tamen censere eos, qui stulti nomine civem notent jus quippe in ipsius vitam civitati in universum concedentem, talia stipendia ex studio quodam stultitiae fieri credibile est.

c) Poenarum genus non gravius eligendum est, quam quod ab delicto arcere valeat. Atqui poena capitis mitiora poenarum genera sunt, quae etiam ab summis delictis arcere queant. Ergo haec poena injusta est.

His verbis ex deterrendi principio supplicium sequi non posse nonnulli demonstrare studebant. Sed frustra. Etenim capitis poena gravissimum poenarum genus contineri, ergo omnium maxime ea homines a gravioribus delictis deterreri posse in propositione concessum est. Edoctis igitur nobis per experientiam, ne illius quidem metu commoveri homines, ut ab omni delicto desistant, multo minus tale quid mitiori puniendi modo effici patet.

d) Hominem ex naturali quodam appetitu capitis poenam aversari ex ea, qua carnificem contemplamur, ratione modoque sequitur. Ab omnibus ille contemnitur ejusque societas evitatur, quamquam ita differat a milite, ut hic bellis exortis ab hostibus civitatem, ille in pace ab hominibus malis singulos defendat.

At hanc contemtionem ex sensu ratione prorsus alieno oriri patet. Etenim primum carnificis professio infamis et ingenuo indigna esse creditur, quod praejudicium praecipue ex aetate quam dicunt media originem ducit. Id temporis enim certamine instituto aequis armis adversarium vincere et ferire honoris et gloriae erat. Ita-

que, quia cum carnifice de virtute non amplius certandum est, negotium ejus imprimis ad hominis ignavi timidique naturam accommodatum esse videbatur ideoque spernebatur. Accedit, quod, etiamsi maleficus omni modo mortem commeruerit; nos semper, dum ipsius interfectioni intersumus, misericordia commovemur. Est enim divina imago, quam miser ille et ipse gestat, ita ut perdere eam non queat, illud quod miserationem nostram excitat. Quae miseratio in hominibus, qui obscuris animi sensibus nimium indulgent, facile eo procedit gradationis, ut declinationem quandam, immo odium capiant illius, qui innocens exsecutor est publicae voluntatis. Denique cadaverum propinquitas semper habet, quod terreat. Quod exsangue et frigidum est quodque riget, cum vita agili et calida non congruit. Jam vero, dum carnifices conspicimus, eo quod cadavera humana tractare solent, mortis cogitatio in nobis gignitur; cujus memoriae tristitiam ut evitemus, illorum societatem fugimus. An non propterea vespillones adeo perhorrescimus? Itaque hanc causam, quum obscuris animi sensibus eam niti demonstratum sit, homini ratione divina quippe praedito nihil probare patet.

e) Leges ipsas, externum signum communis voluntatis, quae homicidium aversatur et punit, ut ab homicidio arceant, publicam instituere interfectionem absonum videtur. Si propter animi permotiones et necessitatem sanguis humanus profunditur, leges, lenitatis et mansuetudinis defensores, tale exemplar non imitari aequum est.

Similitudo, quae inter civitatem et homines privatos intercedit, si interficiunt, eo continetur, quod ambo sanguinem profundunt: magnum vero discrimen hoc apparet, quod caede perpetrata singulus homo contra ipsius naturam agit, ergo delictum committit, civitas vero, si justitiae idea adducta supplicium constituit, suae ipsius naturae convenienter agit. Interfectio, quae auctoritate civitatis fit, nunquam homicidium vocari potest. Etenim homicidium est injusta et considerata hominis interfectio, quae perficitur, ut noceatur. Atqui interfectio, quae a civitate idque ex idea *justitiae* decernitur, injusta esse nequit, quoniam, quomodo ex justo injustum prodire possit, vix intelligi queat. Deinde publicae interfectioni nunquam cuiquam nocendi consilium subjectum est; etenim homo nonnisi id perfert, quod commeruit. Odium et amor a bono legislatore et judice, quippe qui justitiae ideam ad effectum adducere velint, pari modo aliena sunt et ma-

lenteus cadit, per illam ideam, non per odium et vindictam damnatus. Itaque, quum interfectionem civitatis jussu confectam prorsus alia natura atque homicidium a singulis perpetratum uti appareat, nec civitas his exempli instar esse neque ex homicidii improbitate supplicii ultimi injustitia aut insulsitas concludi potest.

f) Capitis poenam nihilo magis a delictis deterrere quam ergastula, praesertim aeternam captivitatem, ex rerum humanarum historia patet. Teste enim Diodoro Siculo, inquit l. c. Hasius, Sabacus rex supplicia sustulit, ut ad aedificia publica exstruenda maleficis uteretur. Aegyptus otio honestatisque sensu per illius regnum excellebat. Civium securitas bonique mores evanuerunt, regnante Sesostre, qui, quum multa bella gereret, eorum vitam non tanti haberet. Elisabetha in Russia imperium tenente, suppliciorum abrogatione delicta illic non augeri viginti annorum experientia docuit. Contra in Anglia, quamquam malefici circiter ducenti quotannis capite damnantur, tot interfectiones non efficiunt, ut ejus incolae vitae incolumitate et securitate quodammodo fruantur. Romani deinde, quum respublica floreret, nullum civem praeter eos, qui bellis exortis contra belli jura peccabant aut perduellionis convicti erant, supplicio ultimo afficiebant. Simili denique modo veteres Germani nullum crimen nisi perfidiam et ignaviam morte mulctabant.

Hanc argumentationem suppliciorum tantum necessitatem nec vero justitiam attingere, ergo contra nostrum, quod supra protulimus, principium directe nihil probare patet. Quamquam suspicionem moveret, si justitiae ideam, quando supplicium capitis constitueret, non, sicut quaeque veritas, in plurimorum animos vim salutarem exserere neque ab iis, quae morte digna judicantur, delictis magis magisque arcere concedendum esset; etenim quod verum rectumque est, in universa hominum societate nihil nisi boni aliquid efficere potest. Jam vero illa supplicia, quibus deterior populorum status adducebatur, ex idea justitiae manavisse demonstrari nequit: immo contrarium locum habet, quemadmodum v. c. in jure criminali Anglico deterrendi principium praevalere scimus. Quod autem, ubi poenae culpae conscientia graviores imponuntur, legum aestimatio necessario diminuitur et pariter, ac ubi illae sunt leviores, delicta committuntur, hoc procul dubio concedendum est. Nec deinde, siquidem principiorum in jure criminali quondam adhibitorum effectus recte dijudicare cu-

pimus, diversis temporibus et diversis populis delinquendi propensionem studiumque diversa esse obliviscendum est.

g) In pectoris nostri angustiis et errandi facultate etiam innocentes capite damnari posse negari non potest. Si igitur is, qui de delicto quodam suspectus est, in ergastula et custodias mittitur, restitutio criminalis in integrum contingere illi potest; sin vero mortem obiit, levissimam sane satisfactionem accipit eo, quod agnita innocentia ipsius ossa in loco supplicii effodiuntur atque honestis exsequiis sepeliantur.

Potest quidem fieri, ut immerito aliquis condemnetur, idque jam factum esse concedendum est. Tormentis enim, ut quae dignitatem humanam abjicerent nec ad veritatem rei cognoscendam apta essent, jam dudum sublatis, facinora vitae suae et saluti perniciosissima maleficum ingenue confiteri exspectari nequit; neque negandum praeterea est, homicidium plerumque ita perpetrari, ut nemo huic testis intersit. Contra falsas sententias damnatorias quam rarissime in civitatibus occurrere, bene administratis nonnum experientia luculenter docet. Itaque ob illam causam supplicia non esse abroganda sponte sua patet. Ne ideo operam navare desinamus, ut perfectiores melioresque reddamur, quia pectoris angustiae nobis sunt impedimento neque nos, prout deus, errore vacamus. Tum sane tale quid cum jure quodam permovere aliquem posset, si vita summum bonum putandum animaeque immortalitas deneganda esset; quae opinio cum fide Christiana prorsus pugnat. Deinde deum, qui omnia scit, ei, cui conformationis suae occasio injuste adempta sit, etiam bona facinora, quae, si non interfectus esset, ille confecisset, imputaturum esse, credendum est.

h) Siquidem in morum emendatione animique perfectione omnium hominum finis cernitur bonaque externa huic summo bono subjecta sunt: summopere cavendum est, ne peccatorem, quum sceleratissimam vitam agat, interficiemus eumque, ut pro operibus suis mercedem accipiat, ad justissimum dei tribunal mittamus.

Si civitatis idea malefici mortem necessario postulat, haec propter illud argumentum apud eos tantum in reprehensionem cadere potest, qui aut justificationem per fidem sine operibus fieri posse non credunt (operum scilicet occasio deesset et tempus) aut aeternas orci poenas contendunt (tum enim maleficus, si ante obiit tum se non emendasset, in aeternum miser esset). Atque priorem quidem illam opinionem non est, quod impugnem, quum il-

lam justificationis doctrinam ultimum nostrae ecclesiae fundamentum continere compertum sit. Qui vero ulteriorem sententiam amplectuntur, videant, ne, quum tantam mali vim atque potestatem supponant, una cum Manichaeis substantiale mali regnum inducant. Quod reliquum est, nos illam objectionem nequaquam tanti habere possumus, quum summum juris criminalis principium in morum emendatione non consistere supra evicerimus.

i) Suspicionem movet, quod antiquissimis temporibus patres ecclesiastici, venerabiles illae doctrinae Christianae columnae, omne capitis supplicium abhorrebant. Nam quum haud ita multo post Christi et apostolorum tempora illi et viverent et scripta sua conficerent quumque ultima illa antiquitate summus Christianismi spiritus vividumque rerum divinarum studium in ecclesia floreret, dubitari vix potest, quin illi quidem in causa nostra recte senserint atque judicaverint. Quam ob rem, si qui quaestionem illam, num poenas capitales irrogare magistratui licitum sit, secundum doctrinam Christianam decernere suscipiant, hi illorum auctoritate decretisque haud dubie tenentur.

Respondemus ita: Plurimos [63]) quidem patres eosdemque veterrimos hoc modo de capitis poena statuisse liquet; verum quum hujus poenae justitiam per N. T., fidei nostrae fontem, doceri supra demonstraverimus, nos saltem Protestantes, qui scripturae sacrae multo plus auctoritatis quam veterum traditionibus tribuere assuefacti simus, contrariae veteris ecclesiae opiniones morari non possunt. Quamquam, ne quis tam gravi auctoritate compulsus rem nostram in dubitationem vocet, causas, cur patres ita cogitaverint, paucis exponam. Atque primum quidem supplicium capitis repudiabant, quia, quum quaererent, num illud imponere liceret, illam quaestionem non a parte civitatis instituebant [64]). Rebantur

---

63) Si quis, quid singuli patres hac de re censuerint, accuratius cognoscere velit, cfr. *Boehmeri* Jus ecclesiast. Protest. tom. V. lib. V. tit. XII. p. 53—82. et *Staeudlini Geschichte der Sittenlehre Jesu. Götting. 1802.*

64) Quae contentio eo confirmatur, quod a patribus disquiri non solebat, num *civitati* poenam capitalem irrogare liceret, sed num *singulis* Christianis, sive judicum ordini adscripti essent (Tertull. De idololat. c. 16. 17. p. 174 sqq.), sive accusandi personam induerent (Lactant. Instit. div. VI. 20.), homines in mortis periculum adducere liceret. Cfr. praeterea *Dav. Blondlli* Prolegomena ad Pseudo-Isidorum c. 12. et *Guilielmi Beverigii*

enim, sicut in ecclesia, ita etiam in omnibus rebus, quae ad externae vitae rationem pertinerent, summum principium contineri animorum emendatione: id quod veritate prorsus destitutum esse supra demonstrasse mihi videor, quum operam darem, ut justitiae principium in jure criminali obtinere evincerem. Itaque civitatis dignitate prius in nostra quaestione prorsus neglecta fieri debebat, ut, quum doctrina Christiana apud multos populos publice cooptaretur, primo quidem patres cum iis, qui civitatis jura defenderent, perpetua gestarent certamina, postea vero supplicia capitis necessario imponenda esse sensim sensimque edocerentur. Cujus rei hoc unum 65) exemplum afferam, quod in Ambrosio, patre illo celeberrimo, accepimus, qui, quum a judice quodam rogatus esset, num supplicium irrogare ipsi liceret, haec verba memoratu digna effatus est: Si capite damnabis, inquit, excusaberis, si non damnabis, laudem commerelleris (Epist. L. V. ep. 51.). Deinde vero in causa erat, cur supplicia capitis illi abhorrerent, ea quidem res, quod amoris principium verum rectamque modum exsuperabat, ita ut ne justas quidem injurias aliis inferre neque v. c. vitam suam armis defendere 66) vel bellum gerere 67) Christianis licere contenderent. Accedebat denique, ut ex crebris, quae eo tempore Christianis obeunda erant, martyriis furor quidam pius existeret, qui, quum pro doctrina Christiana emori summum decus putaret, aegerrime ferebat, si cui alio modo vita erat ponenda 68).

Codex canonum primitivae ecclesiae vindicatus et illustratus. Londini 1678.

65) *Ambrosius* Offic. I. 28. ait: Dicunt illi eam esse primam formam justitiae, ne nemini quis noceat nisi lacessitus injuria. Quod evangelii auctoritate vacuatur. Vult enim scriptura, ut sit in nobis spiritus filii hominis, qui venit conferre gratiam, non inferre injuriam. Nec non idem (l. c. III. 4.): Vir, inquit, Christianus et justus et sapiens quaerere sibi vitam aliena morte non debet, utpote qui, etiamsi latronem armatum incidat, ferientem referire non possit, ne, dum salutem defendit, pietatem contaminet.

66) Cfr. *Lactantii* Instit. div. VI. 20.

67) *Ambrosius* Epistol. L. V. ep. 51.

68) Post *Ambrosium* omnes fere ecclesiae doctores capitis poenas a civitate imponi posse censuerunt. Wiclefium quidem, ut unum ex illustrioribus hujus poenae adversariis commemorem, earum impositionem improbasse scimus (*Lewis* history of the life and sufferings of *J. Wicliffe* Lond. 1720.); sed Protestantium ecclesia

§. 33. Percensitis igitur, quae contra supplicium capitis dici solent, quum ea nervo probandi carere videantur, transeamus ad illustranda, quae pro eo disputantur. Singulae causae, quae nobis rejiciendae vel corrigendae esse videntur, hae fere sunt:

a) Honestatis sensus cujusque hominis pectori insitus interfectoris mortem postulat.

Quod argumentum eam maxime in causa est, cur poenam capitalem merito imponi putandum sit. Etenim, si quis nefandum homicidium enarrari audiat, eum, qui tale quoddam fecerit, iterum morte dignum esse confestim decernet idque tanto magis decernet, quanto magis talia facinora abhorrebit vel quanto honestior et melior erit. Tum demum malefici juste damnati nos miseret, si illius cruciatus in mentem nobis vocamus aut si publicae interfectioni intersumus. Sed quum facile fieri possit, ut ille honestatis sensus per vindictam et malevolentiam aliosque sensus inquinetur, ejus veritas cum prudentia et ratione examinanda est nec ipse summus arbiter in causa capitali haberi potest.

b) Si quis dignitatem suam tantopere abjicit, ut alium interficiat, omnem honestatem contemnit et rationem atque jus ludificatur: ille in pecoribus habendus est. Atqui ut pecus nulla jura in societate humana possidet. Ergo perpetua servitute condemnari vel in deserta deportari vel, si usui est, interfici potest.

At hominem, quamvis flagitiosa facinora perpetraverit, nunquam dignitatem suam humanam amittere et quovis temporis puncto in meliorem partem converti posse tenendum est.

c) Summa cujusque societatis conditio singulorum vita est ejusque incolumitas. Quam conditionem qui violat, jus perdit, ex quo secundum pactum mutuum postulare potest, ut ab aliorum injuriis defendatur: ut breviter dicam, proscriptus est. Quicunque vult, impunite licet eum interficere, ergo etiam civitati licet.

Qui ita ratiocinati sunt, civitatem societatem *pacto* quodam formatam ponunt, ita ut, si una pars officia sua, de quibus conventum est, violaverit, alteri etiam officiis suis supersedere liceat.

---

semper civitati jus vitae necisque attribuit (Confess. Aug. art. XVI. etc.). Immo tantum abfuit, ut supplicia abroganda esse putarent, ut haereticos etiam morte mulctandos esse initio crederent, id quod in Serveto aliisque factum esse accepimus. Cfr. *Calvini* fidelis expositio errorum Mich. Serveti et brevis eorundem refutatio, ubi docetur, jure gladii coercendos esse haereticos. 1554.

causa quidem ipsa quem arguere videtur, animo vero humano rem aliter se habere persuasum est. Etenim poenae tum ex legibus impositae, quum populi approbatione carerent, effectu suo non amplius fruerentur neque cum justitiae principio convenirent, quippe quod internam quoque accusati conditionem respiciat. Exemplum talis gratiae splendidissimum etiam nuperrime vidimus, quum *Fonkius* ille, quamquam judices causa ipsa adducti capitis eum condemnabant, Friderici Guillielmi, regis Borussorum, jussu cum omnium cordatorum consensu gaudioque morte absolveretur. In quo genere hoc tamen monendum est, principem, quamvis jus poenas per veniam diminuendi re vera possideat, tamen eo uti non oportere, nisi haec, quae modo descripsimus, evenerint: sin minus, ideam justitiae laedi populique, qui libertatem suam legibus munitam videat, numen atque dignitatem violari manifestum est.

§. 31. In antecedentibus quum de summo juris criminalis principio satis superque disputatum sit, eo processimus, ut quaeramus, quid supplicii ultimi ratione habita, ex eo quod nos invenimus principio sequatur. Etenim, quod summum in eligendis *omnibus* poenarum generibus putandum est principium, etiam in capitis poena valere patet.

Notum est, ab antiquissimis inde temporibus supplicium inter omnes fere populos esse impositum. Ab initio quidem, quum civitates formarentur, idea justitiae animo humano ingenerata modo prorsus voluptario et libidinoso se manifestabat: vindicta petebatur et si quis interfectus esset, vindicta sanguinis. Necati filius vel si filium non habebat, is qui proximis propinquitatis vinculis cum eo conjunctus erat, summopere — hoc enim in summis officiis habebatur — id meditabatur, ut interfectore patris occidendo hujus ignominiam injuriamque ulcisceretur; quo facto coelorum amoenitate demum et otio illum frui posse credebant. Sed ubinam caedium finis? Iterum homicidium ulciscendum erat et qui modo vindicabat, tum vindicandus erat. Sic factum est, ut familiae virorum numero potentiaque etiam praepollentes mutuis caedibus multos per annos implicitae tandem prorsus exstirparentur. Cui malo ut mederentur, legislatores prudentiores mandavere, ut ad judices omni partium studio alienos, qui ex communi eligebantur, causa unaquaeque referretur. Verum enim vero accusatio nondum ad civitatis officia pertinebat nec, simulac sanguinis vindex pecunia vel aliis artibus reconciliatus in judicium venire

praetermittebat, homicidii adeo ulla ratio habebatur. Etiamtunc regnabat vindictae libido, quae concessis utilitatibus placari poterat; nondum idea justitiae hominum animos movebat. Sed quanto magis civitas in dignitate sua atque destinatione conscia fiebat, tanto magis, ut ideam illam ad effectum adduceret, operam navabat. Itaque publice accusatores fiscique procuratores et judices electi sunt, qui civitatis legumque auctoritate de omnibus, quae intra fines suos accidebant, delictis decernerent. Quae judicia ut tota Germania sensim sensimque adhiberentur, cum maxime effecerunt judicia vemica Westphaliae, quorum assessores jurabant quodque delictum se ulturos et si is qui injuriis affectus esset recusaret, quominus coram legitimo judice jus suum persequeretur, nocentem ipsos ad judicium clam vocaturos et si vocatus non compareret, occultis armis et sicis, ubicunque deprehenderent, punituros. Itaque, quoad rerum humanarum historiam memoria teneamus, jus necis sive a singulis sive a civitate exercitum est, nemine in dubitationem vocante, num capitis poena afficere liceat. Primum quidem illud jus oppugnavit *Beccaria,* quum scriberet librum titulo inscriptum: dei delitti e della pene. Neap. 1764 [61]); post quem tam acre certamen et juris consultorum et morum praecepta tradentium et philosophorum hac de causa exortum est, ut bene et scite agere videamur, si ea, quae pro et contra supplicii impositionem dici solent, pro nostris viribus singulatim et indicemus et illustremus et dijudicemus atque tum demum nostram qualemcunque sententiam proferamus.

§. 32. Qui supplicium capitis abrogandum esse putant, praecipue haec argumenta in medium proferunt:

a) Si jus [62]) capitis poenam imponendi penes civitatem esset,

---

61) Liber ille saepenumero in linguam vernaculam translatus et additamentis auctus est v. c. ab *Hommelio* et a *Bergkio,* qui illum Diderоti annotationibus instructum a. 1798 Lipsiae denuo edidit. Eodem fere tempore, quo Beccaria, *Sonnenfels,* capitis poenam abrogaturus, scripsit: *Grundsätze aus der Polizei-, Handlungs- u. Finanzwissensch. Wien 1765.* tom. I. §. 337.

62) Omnia quae adversus civitatis jus capitis poenas constituendi hic et infra referuntur argumenta statim rejicere possem, quoniam civitatibus Christianis tale jus convenire via exegetica demonstravimus eamque ob causam nobis quidem non amplius quaerendum est, num illud jus ad civitatem re vera pertineat, sed tantum, num ab ea ad effectum adducatur necesse sit: id quod nisi juris

vitam etiam suam in manus civitatis tradendi officium ad cives pertinere sequeretur. Jus enim unius partis semper alterius officium ponit. Atqui singulus homo ne jus quidem, nedum officium, vitam civitati committendi habet, quia vita non per vires humanas atque facultates acquiritur, sed a deo condonatur neque hoc bono si quis privatur, ejus conformatio procedere potest. Sicut sibi ipsum mortem consciscere non decet, sic neque civitati quemquam jus in vitam suam decet concedere.

Lubenter quidem concedimus, omnem vim ipsius vitae illatam in vitiis esse habendam, ideo quod partim voluntatis debilitatem atque imbecillitatem ponit, partim testimonium est levis fidei, quae deo optimo maximo habetur, qui quidem homines calamitatibus affici sinit, ut aut illis, qui jam bono honestoque incumbant, ansam praebeat animi firmitatem et constantiam ostendendi, aut eos, qui in malam partem abierint, castigando ad mores emendandos producat. Nunquam homini sibi ipsum mortem consciscere licet. Item concedimus, vitam unicam humanae conformationis esse conditionem ideoque plurimi ducendam. Sed quum vita eo demum dignitatem suam pretiumque nuncupet, quod in ea conditio cernitur, sine qua homo destinationem suam, ut ingenium viresque insitas excolat moresque meliores reddat, adipisci non possit: haec majora bona putanda eorumque ut compos fiat, homini vitam adeo in discrimen dandam esse apparet. Atqui civitas bonum est morale et quod ratione humana efflagitetur; ergo vitam suam in potestatem civitatis tradendi jure unumquemque uti patet. Verum non solum jus tale cuique est, sed etiam officium. Etenim civitatem ad singulorum vitam conformandam prorsus necessariam esse, nec licere homini, etiamsi lubeat, extra civitatem vivere supra (§. 22.) demonstravimus.

b) Vitam in potestatem civitatis tradere stultum est, quia in civium societatem atque communionem ideo excipi volumus, ut omnia nostra bona ab injuriis impetibusque tueamur defendamusque. Atqui vita primum inter illa bona locum obtinet nec vita privatis quidquam prodest ceterorum bonorum incolumitas.

Hoc argumentum quum ex illa de civitate opinione sit repe-

---

criminalis principio indagato definiri non posse vidimus. Ponamus tamen, nihil doctrina Christiana de jure necis esse praescriptum videamusque, num ex ipso, quem supra dedimus, civitatis intellectu objectiones istae refutari queant.

titum, quae huic externis tantum civium bonis curam impendendam esse dicat, confestim cum jure nostro respuere possemus: attamen hac ipsa circa civitatis naturam sententia cooptata videamus, num res ita se habeat. Singulum hominem, quum in civium societatem excipiatur, omnia sua bona velle tueri contenditur. Sit ita. Ergo etiam vitam idque maxime vult tueri. Qui vero hoc fieri possit, nisi civitatis principium approbet, omnem homicidam, ubi eum consilio et conscientia facti interfecerit, iterum esse interficiendum? Quanto pluris vitam putat, tanto graviorem poenam ejus violatori imponendam esse eum censere oportet. Atqui, siquidem postulat, ut injuria aliqua, quae sibimet ipsi vel suis inferri possit, capitis poena puniatur: si quando tale facinus admiserit, capite se quoque damnandi potestatem civitati tribuere et ipsum decet. Simili modo civis unusquisque, si bella oriuntur, civitatis jussu arbitrioque summis periculis atque adeo morti vitam exponit, neque tamen censere eos, qui stulti nomine civem notent jus quippe in ipsius vitam civitati in universum concedentem, talia stipendia ex studio quodam stultitiae fieri credibile est.

c) Poenarum genus non gravius eligendum est, quam quod ab delicto arcere valeat. Atqui poena capitis mitiora poenarum genera sunt, quae etiam ab summis delictis arcere queant. Ergo haec poena injusta est.

His verbis ex deterrendi principio supplicium sequi non posse nonnulli demonstrare studebant. Sed frustra. Etenim capitis poena gravissimum poenarum genus contineri, ergo omnium maxime ea homines a gravioribus delictis deterreri posse in propositione concessum est. Edoctis igitur nobis per experientiam, ne illius quidem metu commoveri homines, ut ab omni delicto desistant, multo minus tale quid mitiori puniendi modo effici patet.

d) Hominem ex naturali quodam appetitu capitis poenam aversari ex ea, qua carnificem contemplamur, ratione modoque sequitur. Ab omnibus ille contemnitur ejusque societas evitatur, quamquam ita differat a milite, ut hic bellis exortis ab hostibus civitatem, ille in pace ab hominibus malis singulos defendat.

At hanc contemtionem ex sensu ratione prorsus alieno oriri patet. Etenim primum carnificis professio infamis et ingenuo indigna esse creditur, quod praejudicium praecipue ex aetate quam dicunt media originem ducit. Id temporis enim certamine instituto aequis armis adversarium vincere et ferire honoris et gloriae erat. Ita-

que, quia cum carnifice de virtute non amplius certandum est, negotium ejus imprimis ad hominis ignavi timidique naturam accommodatum esse videbatur ideoque spernebatur. Accedit, quod, etiamsi maleficus omni modo mortem commeruerit; nos semper, dum ipsius interfectioni intersumus, misericordia commovemur. Est enim divina imago, quam miser ille et ipse gestat, ita ut perdere eam non queat, illud quod miserationem nostram excitat. Quae miseratio in hominibus, qui obscuris animi sensibus nimium indulgent, facile eo procedit gradationis, ut declinationem quandam, immo odium capiant illius, qui innocens exsecutor est publicae voluntatis. Denique cadaverum propinquitas semper habet, quod terreat. Quod exsangue et frigidum est quodque riget, cum vita agili et calida non congruit. Jam vero, dum carnifices conspicimus, eo quod cadavera humana tractare solent, mortis cogitatio in nobis gignitur; cujus memoriae tristitiam ut evitemus, illorum societatem fugimus. An non propterea vespillones adeo perhorrescimus? Itaque hanc causam, quum obscuris animi sensibus eam niti demonstratum sit, homini ratione divina quippe praedito nihil probare patet.

e) Leges ipsas, externum signum communis voluntatis, quae homicidium aversatur et punit, ut ab homicidio arceant, publicam instituere interfectionem absonum videtur. Si propter animi permotiones et necessitatem sanguis humanus profunditur, leges, lenitatis et mansuetudinis defensores, tale exemplar non imitari aequum est.

Similitudo, quae inter civitatem et homines privatos intercedit, si interficiunt, eo continetur, quod ambo sanguinem profundunt: magnum vero discrimen hoc apparet, quod caede perpetrata singulus homo contra ipsius naturam agit, ergo delictum committit, civitas vero, si justitiae idea adducta supplicium constituit, suae ipsius naturae convenienter agit. Interfectio, quae auctoritate civitatis fit, nunquam homicidium vocari potest. Etenim homicidium est injusta et considerata hominis interfectio, quae perficitur, ut noceatur. Atqui interfectio, quae a civitate idque ex idea *justitiae* decernitur, injusta esse nequit, quoniam, quomodo ex justo injustum prodire possit, vix intelligi queat. Deinde publicae interfectioni nunquam cuiquam nocendi consilium subjectum est; etenim homo nonnisi id perfert, quod commeruit. Odium et amor a bono legislatore et judice, quippe qui justitiae ideam ad effectum adducere velint, pari modo aliena sunt et ma-

lenteus cadit, per illam ideam, non per odium et vindictam damnatus. Itaque, quum interfectionem civitatis jussu confectam prorsus alia natura atque homicidium a singulis perpetratum uti appareat, nec civitas his exempli instar esse neque ex homicidii improbitate supplicii ultimi injustitia aut insulsitas concludi potest.

f) Capitis poenam nihilo magis a delictis deterrere quam ergastula, praesertim aeternam captivitatem, ex rerum humanarum historia patet. Teste enim Diodoro Siculo, inquit l. c. Hasius, Sabacus rex supplicia sustulit, ut ad aedificia publica exstruenda maleficis uteretur. Aegyptus otio honestatisque sensu per illius regnum excellebat. Civium securitas bonique mores evanuerunt, regnante Sesostre, qui, quum multa bella gereret, eorum vitam non tanti haberet. Elisabetha in Russia imperium tenente, suppliciorum abrogatione delicta illic non augeri viginti annorum experientia docuit. Contra in Anglia, quamquam malefici circiter ducenti quotannis capite damnantur, tot interfectiones non efficiunt, ut ejus incolae vitae incolumitate et securitate quodammodo fruantur. Romani deinde, quum respublica floreret, nullum civem praeter eos, qui bellis exortis contra belli jura peccabant aut perduellionis convicti erant, supplicio ultimo afficiebant. Simili denique modo veteres Germani nullum crimen nisi perfidiam et ignaviam morte mulctabant.

Hanc argumentationem suppliciorum tantum necessitatem nec vero justitiam attingere, ergo contra nostrum, quod supra protulimus, principium directe nihil probare patet. Quamquam suspicionem moveret, si justitiae ideam, quando supplicium capitis constitueret, non, sicut quaeque veritas, in plurimorum animos vim salutarem exserere neque ab iis, quae morte digna judicantur, delictis magis magisque arcere concedendum esset; etenim quod verum rectumque est, in universa hominum societate nihil nisi boni aliquid efficere potest. Jam vero illa supplicia, quibus deterior populorum status adducebatur, ex idea justitiae manavisse demonstrari nequit: immo contrarium locum habet, quemadmodum v. c. in jure criminali Anglico deterrendi principium praevalere scimus. Quod autem, ubi poenae culpae conscientia graviores imponuntur, legum aestimatio necessario diminuitur et pariter, ac ubi illae sunt leviores, delicta committuntur, hoc procul dubio concedendum est. Nec deinde, siquidem principiorum in jure criminali quondam adhibitorum effectus recte dijudicare cu-

pimus, diversis temporibus et diversis populis delinquendi occasionem studiumque diversa esse obliviscendum est.

g) In pectoris nostri angustiis et errandi facultate etiam innocentes capite damnari posse negari non potest. Si igitur is, qui de delicto quodam suspectus est, in ergastula et custodias mittitur, restitutio criminalis in integrum contingere illi potest; sin vero mortem obiit, levissimam sane satisfactionem accipit eo, quod agnita innocentia ipsius ossa in loco supplicii effodiuntur atque honestis exsequiis sepeliantur.

Potest quidem fieri, ut immerito aliquis condemnetur, idque jam factum esse concedendum est. Tormentis enim, ut quae dignitatem humanam abjicerent nec ad veritatem rei cognoscendam apta essent, jam dudum sublatis, facinora vitae suae et saluti perniciosissima maleficum ingenue confiteri exspectari nequit; neque negandum praeterea est, homicidium plerumque ita perpetrari, ut nemo huic testis intersit. Contra falsas sententias damnatorias quam rarissime in civitatibus occurrere, bene administratis rerum experientia luculenter docet. Itaque ob illam causam supplicia non esse abroganda sponte sua patet. Ne ideo operam navare desinamus, ut perfectiores melioresque reddamur, quia pectoris angustiae nobis sunt impedimento neque nos, prout deus, errore vacamus. Tum sane tale quid cum jure quodam permovere aliquem posset, si vita summum bonum putandum animaeque immortalitas deneganda esset; quae opinio cum fide Christiana prorsus pugnat. Deinde deum, qui omnia scit, ei, cui conformationis suae occasio injuste adempta sit, etiam bona facinora, quae, si non interfectus esset, ille confecisset, imputaturum esse, credendum est.

h) Siquidem in morum emendatione animique perfectione omnium hominum finis cernitur bonaque externa huic summo bono subjecta sunt: summopere cavendum est, ne peccatorem, quum sceleratissimam vitam agat, interficiamus eumque, ut pro operibus suis mercedem accipiat, ad justissimum dei tribunal mittamus.

Si civitatis idea malefici mortem necessario postulat, haec propter illud argumentum apud eos tantum in reprehensionem cadere potest, qui aut justificationem per fidem sine operibus fieri posse non credunt (operum scilicet occasio deesset et tempus) aut aeternas orci poenas contendunt (tum enim maleficus, si ante obiit, tum se non emendasset, in aeternum miser esset). Atque priorem quidem illam opinionem non est, quod impugnem, quum il-

lam justificationis doctrinam ultimum nostrae ecclesiae fundamentum continere compertum sit. Qui vero ulteriorem sententiam amplectuntur, videant, ne, quum tantam mali vim atque potestatem supponant, una cum Manichaeis substantiale mali regnum inducant. Quod reliquum est, nos illam objectionem nequaquam tanti habere possumus, quum summum juris criminalis principium in morum emendatione non consistere supra evicerimus.

i) Suspicionem movet, quod antiquissimis temporibus patres ecclesiastici, venerabiles illae doctrinae Christianae columnae, omne capitis supplicium abhorrebant. Nam quum haud ita multo post Christi et apostolorum tempora illi et viverent et scripta sua conficerent quumque ultima illa antiquitate summus Christianismi spiritus vividumque rerum divinarum studium in ecclesia floreret, dubitari vix potest, quin illi quidem in causa nostra recte senserint atque judicaverint. Quam ob rem, si qui quaestionem illam, num poenas capitales irrogare magistratui licitum sit, secundum doctrinam Christianam decernere suscipiant, hi illorum auctoritate decretisque haud dubie tenentur.

Respondemus ita: Plurimos 63) quidem patres eosdemque veterrimos hoc modo de capitis poena statuisse liquet; verum quum hujus poenae justitiam per N. T., fidei nostrae fontem, doceri supra demonstraverimus, nos saltem Protestantes, qui scripturae sacrae multo plus auctoritatis quam veterum traditionibus tribuere assuefacti simus, contrariae veteris ecclesiae opiniones morari non possunt. Quamquam, ne quis tam gravi auctoritate compulsus rem nostram in dubitationem vocet, causas, cur patres ita cogitaverint, paucis exponam. Atque primum quidem supplicium capitis repudiabant, quia, quum quaererent, num illud imponere liceret, illam quaestionem non a parte civitatis instituebant 64). Rebantur

---

63) Si quis, quid singuli patres hac de re censuerint, accuratius cognoscere velit, cfr. *Boehmeri* Jus ecclesiast. Protest. tom. V. lib. V. tit. XII. p. 53—82, et *Staeudlini Geschichte der Sittenlehre Jesu. Götting. 1802.*

64) Quae contentio eo confirmatur, quod a patribus disquiri non solebat, num *civitati* poenam capitalem irrogare liceret, sed num *singulis* Christianis, sive judicum ordini adscripti essent (Tertull. De idololat. c. 16. 17. p. 174 sqq.), sive accusandi personam induerent (Lactant. Instit. div. VI. 20.), homines in mortis periculum adducere liceret. Cfr. praeterea *Dav. Blondlli* Prolegomena ad Pseudo-Isidorum c. 12. et *Guilielmi Beverigii*

enim, sicut in ecclesia, ita etiam in omnibus rebus, quae ad externae vitae rationem pertinerent, summum principium contineri animorum emendatione: id quod veritate prorsus destitutum esse supra demonstrasse mihi videor, quum operam darem, ut justitiae principium in jure criminali obtinere evincerem. Itaque civitatis dignitate prius in nostra quaestione prorsus neglecta fieri debebat, ut, quum doctrina Christiana apud multos populos publice cooptaretur, primo quidem patres cum iis, qui civitatis jura defenderent, perpetua gestarent certamina, postea vero supplicia capitis necessario imponenda esse sensim sensimque edocerentur. Cujus rei hoc unum 65) exemplum afferam, quod in Ambrosio, patre illo celeberrimo, accepimus, qui, quum a judice quodam rogatus esset, num supplicium irrogare ipsi liceret, haec verba memoratu digna effatus est: Si capite damnabis, inquit, excusaberis, si non damnabis, laudem commerelteris (Epist. L. V. ep. 51.). Deinde vero in causa erat, cur supplicia capitis illi abhorrerent, ea quidem res, quod amoris principium verum rectumque modum exsuperabat, ita ut ne justas quidem injurias aliis inferre neque v. c. vitam suam armis defendere 66) vel bellum gerere 67) Christianis licere contenderent. Accedebat denique, ut ex crebris, quae eo tempore Christianis obeunda erant, martyriis furor quidam pius existeret, qui, quum pro doctrina Christiana emori summum decus putaret, aegerrime ferebat, si cui alio modo vita erat ponenda 68).

Codex canonum primitivae ecclesiae vindicatus et illustratus, Londini 1678.

65) *Ambrosius* Offic. I. 28. ait: Dicunt illi eam esse primam formam justitiae, ne nemini quis noceat nisi lacessitus injuria. Quod evangelii auctoritate vacuatur. Vult enim scriptura, ut sit in nobis spiritus filii hominis, qui venit conferre gratiam, non inferre injuriam. Nec non idem (l. c. III. 4.): Vir, inquit, Christianus et justus et sapiens quaerere sibi vitam aliena morte non debet, utpote qui, etiamsi latronem armatum incidat, ferientem referire non possit, ne, dum salutem defendit, pietatem contaminet.

66) Cfr. *Lactantii* Instit. div. VI. 20.

67) *Ambrosius* Epistol. L. V. ep. 51.

68) Post *Ambrosium* omnes fere ecclesiae doctores capitis poenas a civitate imponi posse censuerunt. Wiclefium quidem, ut unum ex illustrioribus hujus poenae adversariis commemorem, earum impositionem improbasse scimus (*Lewis* history of the life and sufferings of *J. Wicliffe* Lond. 1720.); sed Protestantium ecclesia

§. 33. Percensitis igitur, quae *contra* supplicium capitis dici solent, quum ea nervo probandi carere videantur, transeamus ad illustranda, quae *pro* eo disputantur. Singulae causae, quae nobis rejiciendae vel corrigendae esse videntur, hae fere sunt:

a) Honestatis sensus cujusque hominis pectori insitus interfectoris mortem postulat.

Quod argumentum eum maxime in causa est, cur poenam capitalem merito imponi putandum sit. Etenim, si quis nefandum homicidium enarrari audiat, eum, qui tale quoddam fecerit, iterum morte dignum esse confestim decernet idque tanto magis decernet, quanto magis talia facinora abhorrebit vel quanto honestior et melior erit. Tum demum malefici juste damnati nos miseret, si illius cruciatus in mentem nobis vocamus aut si publicae interfectioni intersumus. Sed quum facile fieri possit, ut ille honestatis sensus per vindictam et malevolentiam aliosque sensus inquinetur, ejus veritas cum prudentia et ratione examinanda est nec ipse summus arbiter in causa capitali haberi potest.

b) Si quis dignitatem suam tantopere abjicit, ut alium interficiat, omnem honestatem contemnit et rationem atque jus ludificatur: ille in pecoribus habendus est. Atqui ut pecus nulla jura in societate humana possidet. Ergo perpetua servitute condemnari vel in deserta deportari vel, si usui est, interfici potest.

At hominem, quamvis flagitiosa facinora perpetraverit, nunquam dignitatem suam humanam amittere et quovis temporis puncto in meliorem partem converti posse tenendum est.

c) Summa cujusque societatis conditio singulorum vita est ejusque incolumitas. Quam conditionem qui violat, jus perdit, ex quo secundum pactum mutuum postulare potest, ut ab aliorum injuriis defendatur: ut breviter dicam, proscriptus est. Quicunque vult, impunite licet eum interficere, ergo etiam civitati licet.

Qui ita ratiocinati sunt, civitatem societatem *pacto* quodam formatam ponunt, ita ut, si una pars officia sua, de quibus conventum est, violaverit, alteri etiam officiis suis supersedere liceat.

---

semper civitati jus vitae necisque attribuit (Confess. Aug. art. XVI. etc.). Immo tantum abfuit, ut supplicia abroganda esse putarent, ut haereticos etiam morte mulctandos esse initio crederent, id quod in Serveto aliisque factum esse accepimus. Cfr. *Calvini* fidelis expositio errorum Mich. Serveti et brevis eorundem refutatio, ubi docetur, jure gladii coercendos esse haereticos. 1554.

Quod prorsus falsum esse vidimus, quum de civitatis essentia ageremus. Deinde ex illa conclusione sequeretur, quemque peregrinum, qui cum civitate, in qua eo tempore degit, foedus non inierit, impunite posse interfici; id quod cum ab experientia tum a nostro honestatis sensu abhorret.

d) In conditione naturali cuique jus est, eum, qui ipsius vitae insidias struat, interficere. Si homines ad civitatem formandam conveniunt, singulorum potestas ideoque etiam jus interfectorum nomine ejus, qui interfectus est, occidendi societati traditur.

Haec argumentatio summo errore laborat; etenim, donec conditio naturalis durat, jus quidem regnat defensionis necessariae, quod cessat, si civitas formatur.

e) Quoad memoria nostra rerum humanarum historiam teneamus, supplicium capitis impositum est. Sunt paucae tantum civitates et populi, in quibus aut non imperatum aut propter cultum nimis delicatum idque pleramque ad tempus sublatum sit. Quae rerum notitia supplicii imponendi jus optime testatur.

Nonnulli quidem principia et instituta veterrima non amplius agnoscunt propterea, quia ab antiquissimis inde temporibus regnabant. Viro quippe erudito atque eleganti vix dignum esse videtur, qui cum aestimatione honoribusque aliquid prosequatur, quod jam propter magnam suam aetatem aestimationem nostram commereatur. Tantum igitur abest, ut illa historiae experientia id genus homines ad supplicium comprobandum ducantur, ut potius saepenumero nova inquirendi libido inde existat. Manifestum scilicet est, illud argumentum ut philosophicum nihil demonstrare, quum tantum ex experientia sit repetitum et philosophis indagandum, quid veri subsit iis quae sub sensus cadunt rebus: sed experientia illa ad veritatem rei cognoscendam ducimur. Etenim is, qui caute et prudenter judicium fert, cavendum esse concedet, ne quis totum fere mundum adeoque universitatem Christianam, quam tamen spiritus sanctus penetraverit, quum ex sensu ingenito atque conscientia supplicium statuerint, multum a veritate aberrasse contendat. In definiendis singulis, quae supplicium attingunt, erratum sit, quia perturbationes animi, crudelitas, vindictae studium, falsa denique principia veritatem inquinabant: sed universo humani generis sensui, qui judicium capitale omnino probat, magna veritas subjecta esse debet. Est igitur viri cujusque ingenui animique facultatibus excellentis, inquirere, ut illam veritatem recte inveniat inventamque idoneis causis fulciat.

f) Maximos sumtus civitati faceret, si omnes maleficos in custodias mitteret. Etenim alendi essent et, quod difficillimum est eoque difficilius, quo versutior et periculosior maleficus, etiam custodiendi essent: ergo multas custodias munitissimas aedificandas multosque custodes publica mercede sustentandos esse patet. Deinde carceres facile nimis implerentur. Etenim homines vitam suam sustentaturos id adeo egisse, ut ad triremem damnarentur, experientia edocemur, quumque captivos cum crudelitate tractari amor Christianus vetet, ut leges cum libertate consilioque violent, vitae suae per ignaviam transigendae cura studioque nonnulli compelli possunt.

Haec causa supplicii utilitatem attingit, quam in civitate saltem Christiana pro summo institutionum legumve fonte non habendam esse demonstravimus. Attamen hic illam tantum respiciamus. Primum autem custodiae ita instrui possunt, ut sumtus, quos faciunt, modo reddant, captivisque ipsis studendum est, ut strenuo labore vitam suam sustentent. Deinde non est, quod vereamur, ne carceres nimis a captivis voluntariis repleantur; quoniam partim libertatis amor et honoris studium in plurimis hominibus multum valet, partim quum captivis ipsis ad victum sibi comparandum laborandum sit, ita facile non fiat, ut aliquis per ignaviam adductus in vincula mitti cupiat.

g) Summae civitatis conditiones summa poena illarum violationi imposita defendendae sunt. Atqui summa poena supplicium capitis est. Si maleficus in carcerem mittitur, semper laeta spe fruitur, fore, ut aliquando liberetur: astutia, vis, imperii commutatio, gratia principis captivitatem tollere possunt. Sin vero capite damnatus est, omni spei eum renuntiare necesse est.

Qui principium necessitatis amplectuntur, profecto equidem non video, quid illi huic argumentationi recte respondeant. Si quis v. c. homicidium perpetrat, summa civitatis conditio, vitae singulorum incolumitas, violatur. Jam vero, quum ne supplicium quidem a tali delicto arcere per experientiam cognitum habeamus: ille rex, qui poenam illo minorem interfectori irrogaret, injuste cum civitate ageret. Sunt autem, qui, licet principium necessitatis summum in jure criminali principium putent, supplicium tamen in universum abrogandum esse censeant. Hi enim morte summum malum nequaquam effici, sed majus aeterna captivitate contineri dictitant. Lubenter quidem id concesserim, si fieri posset, ut homini una cum perpetuae captivitatis minatione spes libe-

rationis quaeque admeretur. Sed singulas eorum causas audiamus. Viros, inquiunt illi, ut Socratem, deinde summos etiam maleficos, illum maxima laetitia, hos cum tranquillitate adeoque cum animi temeritate mortem obiisse accepimus: bellator cum audacia pugnam subit et in hostium turmas irruit: praefectus militum denique propter minutias quasdam in certamine singulari vitam suam summo periculo exponit. Intellectu difficile est, quomodo fieri potuerit, ut diversissimi generis exempla juxta ponerentur; attamen eo tantum aliquam veritatis speciem prae se ferunt. Nec vero, id quod demonstrandum erat, supplicium in *maleficos* quidem leviorem vim exserere quam perpetuae captivitatis comminationem re vera demonstratum est. Etenim, quod viri ut Socrates summa laetitia mortem obierunt, mirum me non habet, quum bonae rei, pro qua perirent, conscientia mortis cruciatus et dolores lenirentur atque mollirentur. Bellator omnia pugnae pericula fortiter suscipit. Quid mirum? pro patria et rege pugnat. Hoc ipsum enim in causa est, cur milites conducticii, quum interno illo impulsu egeant, in pugna plerumque mali et ignavi esse soleant. Quid denique est, quod praefectum militum propter res minutas ad certamen singulare provocare jubeat? Praejudicium ordinis cujusdam, cujus maxima gloria ex virtute et fortitudine constat. Quamquam nec bellator nec praefectus militum *certam* mortem exspectant. Prorsus aliter res se habet, si maleficus capite damnatur. Nulla spes nisi mortis, nulla interna virtus eum corroboratura, ut praesentium calamitatum obliviscatur: contra, donec ipsius conscientia nondum omnem vim amisit, vitae praeteritae eum summopere poenitet. Scilicet hoc concedendum est, etiam maleficos fuisse, qui animo aequo et hilari mortem exspectarent; sed talis tranquillitas plerumque tantum ostentationis causa simulatur et internus pectoris angor praesentium oculis occultatur. Sin re vera eo pervicaciae processerint, ut poenitentiam prorsus nullam sentire videantur, quod in venefica illa Bremensi accepimus: tales homines captivitatis minatione multo minus deterreri merito suspicari possumus. Quid autem? si interfectioni publicae intersumus, miseratione implemur; si captivum conspicimus, horrore. Quod igitur majoris etiam malefici mortis nos miseret, dum minorem captivum redditum cum horrore contemplamur: nonne hoc luce clarius demonstrat, ex judicio totius saltem populi, qui quidem legibus a delictis arcendus est, supplicium perpetua captivitate gravius esse habendum? Sic supplicio summam in civitate poenam

contineri satis superque demonstrasse mihi videor. Quodsi res ita se habet, ei, qui principium necessitatis amplectitur, ut summas civitatis conditiones vere tueatur, capitis poenam approbandam esse patet.

h) Qui magnum scelus commisit, eo ipso honestatem suam inquinavit et radicitus evertit. Peccator non amplius animi sui saluti curam impendit: ergo societatis est illam curare; id quod efficere non potest, nisi eo quod illum morte mulctat, quam perpessus cum deo reconciliatus est.

Talis reconciliatio a fide Christiana prorsus abhorret; deus enim non gaudet, quod homines improbi per latibulum et rotam in ejus honorem cruciantur. Calamitates externique dolores non expiant culpam nec coram deo justificant, immo vera poenitentia opus est morumque emendatione et tali in salvatorem fide, quae abundet bonis operibus. Praeterea illud argumentum ponit, peccatorem se non amplius emendare vel ad rectam viam convertere posse; de cujus opinionis perversitate jam aliis locis monuimus.

§. 34. In antecedentibus quum omnes causas, quae pro et contra supplicium induci solent neque ex nostro juris criminalis principio derivantur, exposuerim, illustraverim, oppugnaverim: nostram qualemcunque sententiam necesse est breviter adumbremus. In qua tamen exponenda me multum esse non opus est, siquidem nihil me oportet facere, nisi ut inquiram, num principii nostri ejusque praeceptionum ratione habita supplicium ultimum sit approbandum an repudiandum.

Ubi vero justitiae principium locum habet (§. 30.), quaeritur, quo consilio facinus aliquod perpetratum sit, ut inde eruatur, quatenus auctori sit imputandum. Culpa enim facinoris his duobus locis continetur, quod primum quaerendum est, num maleficus eam quam violavit legem ante facinus perpetratum cognitam habuerit, quoniam lege publica aut non lata aut non cognita nullum delictum efficitur; deinde vero indagandum est, quae fuerit animi intentio et voluntas, quacum actum sit, et quantum damni actio ipsa et in singulos et in civitatem contulerit. Ita delicti natura et qualitate definita poenae genus, quod in singulis causis adhibendum est, constituere opus est: quod ita eligendum esse supra demonstravimus, ut ad delictum, de quo quaeritur, cum maxime accommodatum sit.

Patet igitur, omne *homicidium*, modo cum consilio et conscientia facinoris perpetratum sit, capitis poena esse mulctandum;

nam morti mortem proprie respondere quis non videt? Sed cur, objiciat mihi aliquis, interfectio interfectione mulctanda est? Lubenter hoc se concedere, ex principio justitiae sequi, ut homicidium morte mulctari *possit:* cur vero capitis poena *opus sit* neque hic quidem, sicut in sexcentis aliis delictis (§. 30.), in locum specialis pretii generale pretium h. e. in locum supplicii perpetua captivitas et alia similia substituantur, se non intelligere. Haec qui objiciunt, iis h. m. respondendum est: Speciale pretium ne homicidio quidem perpetrato ita est adhibendum, ut ei, qui alium interfecerit, eodem quo interfecerit modo obeundum sit. Quodsi fieret, maleficus plerumque ea, quam intulit, injuria graviorem injuriam perpateretur. Quamquam homicidium voluntarium semper capite damnandum est propterea, quia nullum generale ejus pretium cogitari aut inveniri potest. Vita enim inter bona externa summum bonum putandum est (§. 33. g.) nec libertatis quidem civilis amissione compensari potest: id quod hujuscemodi adversarii, qui nostro poenarum principio cooptato supplicii impositionem abrogaturi sunt, eo ipso concedere videntur, quod, quamvis ex illo morte punire liceat, tamen in hujus poenae locum aliam poenam eamque haud dubie aliquo modo leviorem surrogandam esse statuunt.

Praeterea autem, quod omne homicidium consulto perpetratum capitis poena afficiendum est, alia etiam facinorum genera cogitari possunt, quibus supplicium imponendum esse ex nostro juris criminalis principio sequitur. Qui suppliciorum locus omnibus iis delictis continetur, quae civitatis salutem et incolumitatem in summum rerum discrimen adducere videantur, siquidem eam delicti considerationem, quatenus inde toti civium consociationi periculum immineat, semper unam ex illius qualitatibus sistere supra (§. 30.) expositum est. Atqui civitas in summum periculum adducitur, si per motus quosdam et perturbationes ita afficitur, ut timendum sit, ne esse desinat: qui motus aut in motus internos, quibus *praecipue* tumultus 69) civiles intelligimus, aut in motus

---

69) Nostrum non est firmiter adseverare, nonnisi seditionibus et tumultibus civilibus *certam* quandam civitatem eo adduci posse, ut de suamet ipsius securitate atque incolumitate cogitet. Quod quominus faciam, impedit me ea quidem res, quod partim hic de definiti cujusdam populi legislatione non quaeritur partim vero scientiae et cognitiones ad talem quaestionem recte enucleandam ne-

externos sive bella dividi possunt. Itaque, si quis *perduellionis* convictus est, capite est damnandus: nam si voti damnatus esset, de civitate actum erat. Bellis deinde exortis accidere potest, ut nonnulla delicta morte puniri debeant. Civitas enim, si ab hoste vincitur, in periculo versatur, ne magnum aliquod detrimentum inde capiat vel prorsus evertatur. Omnes igitur *exploratores* et *desertores* morte mulctandos esse patet. Deinde etiam ii, qui contra *disciplinam militarem* peccant, nonnunquam occidendi sunt, sed in his summopere cavendum, ne poena gravior quam pro defensionis necessariae officio imponatur.

Quod reliquum est, praeter illa, quae aut singulorum aut civitatis quasi *vitam* spectant, delicta nulla alia capitis poena afficienda esse ex eo sequitur, quod partim nisi aut adversus singulos aut adversus civitatem delicta committi nequeunt, partim tantummodo mortem vel homini cuidam illatam vel civitati inferendam morte puniri posse ex justitiae principio patet.

§. 35. Jam vero, quum in antecedentibus inquisiverimus, quando poena capitis sit imponenda, breviter etiam describamus, *qualem* eam esse oporteat, et *quomodo* cum maleficis, priusquam interficiantur, quam *civitatem* tam *ecclesiam* agere deceat.

Principio igitur de supplicii modo et qualitate dicendum est. Hic tenendum est, omnes interficiendi modos immanitatem et saevitiam redolentes esse excludendos. Primum enim miti Christianismi principio repugnant, quum amor Christianus in aliorum cruciatibus vel doloribus non delectetur. Deinde justitiae ideam laederent, quia maleficus, quippe qui poenam suam praenoscat et per cogitationem saepenumero antea perferat, plus injuriae quam pro merito acciperet. Denique tales poenae stultitiam produnt, quia crudelitatis exemplis spectantium pectus durescit. Quod ne fieret, veriti interfectionem clam institui nonnulli jusserunt; verum hoc consilium non potest approbari, ideo quod populi libertati periculosissimum est.

---

cessariae me juvenem eumque rebus politicis propriam operam haud navantem deficiunt. Qua de re totum circa supplicia locum, qui civitatis necessitatibus efficitur, magis attigisse quam explicasse juvat. Interim, quo munitior evadat civitas, eo leviora poenarum genera ad eam conservandam efflagitari et civitatem multis praesidiis exornatam tantum seditionibus in summum periculum adduci viri politicae etiam peritissimi lubenter mihi concedent.

Quomodo vero cum maleficis ante interfectionem agendum sit, nunc explanandum est. Civitatem autem omne auxilium externum omnemque amorem, quem potest, illis praestare decet, quia eo demum ostendit, per justitiam, non per vindictae studium supplicium de iis sumi. Liberi, si qui sunt, ad parentes, parentes ad liberos, conjux ad conjugem admittendi neque carceres amicis cognatisve claudendi sunt. Tum custodes et judices omni, qua fieri potest, liberalitate et humanitate miseros illos tractare oportet: nam eorum miseriam per se satis magnam injuriis ultro illatis adjectisque cumulare non viri ingenui, sed belluae proprium est. Ecclesiae deinde ministri, ut quorum singulare officium sit animorum emendatio, lubenter in auxilium advolent et operam navent, ut in maleficorum animis sinceram pristinae vitae poenitentiam excitent eosque, ne de animae salute desperantes ex hac vita decedant, solatiis divinis [70]) impleant atque firment. Quod auxilium quominus ecclesia ferat, impedire civitati non licet; quia tum officium tale, quod ad illius essentiam pertineat, tolleret, id quod, sicut supra (§. 23.) vidimus, civitati non licet. Quam quidem rem a Friderico II., Borussorum rege, factam esse rerum historia edocemur; sed fecit, quum non amplius metum incutere animadverteret mortem, qua omnem culpam expiari clerici moritu-

70) Miror equidem, quod *Kroegerus* verbi divini ministrorum finem, quum maleficum adeant, non in hujus emendatione et consolatione (nam emendationem, quae paucis hebdomadibus ante mortem fiat nec per continuam vitam manifestetur, paene nihili(??) habendam esse), sed in exponenda ejus culpa judiciique damnatorii justitia versari censet: etenim, nisi *libere* et *consensu suo* mortem obeat, ejus interfectionem semper speciem quandam homicidii prae se ferre. Num vero civitatis tantum *instrumentum* fieri ecclesiae licet? Deinde qui fieri potest, ut mortem se commereri maleficus agnoscat, nisi prius summa peccatorum commissorum poenitentia in intimo ipsius *pectore* excitetur? Itaque emendatione quoque opus esset, si modo illum, quem Kr. innuit, finem attingere vellent. Denique, quum secundum justitiae principium poenae ad culpam accommodatae imponantur, minime est timendum, ne rei mortem se commereri denegent, quamquam naturali vitae appetitu ducti sententiae funestae abrogationem saepenumero desiderabunt. Illam Kroegeri opinionem legimus in: *C. Daub's Darstellung u. Beurtheilung der Hypoth. in Betreff der Willensfreiheit, mit einigen Zusätzen über die Lehre vom Gewissen, von der Todesstrafe u. s. w. begleitet von J. E. Kröger. Altona 1834.* p. 218 sqq.

ris nuntiabant. Quod mandatum regium, etiamsi nullo verbi divini ministrorum in docendo errore excusaretur et ab omnium civitatum principibus cooptaretur, tamen haudquaquam hoc efficeret, ut omne ecclesiae auxilium, utpote quod in hujus institutionis essentia fundatum sit, maleficis recusandum esse demonstraret.

§. 36. Jam vero libello meo finem impositurus omnium, quae in eo exponuntur, materiarum summam uno quasi obtutu comprehendam. Demonstravi, ex Christianismi praeceptis atque indole capitis poenam *licere* imponere: constitui deinde Christianae civitatis fines naturamque et ejus summum in jure criminali principium ex eoque illius potestatis doctrina Christiana approbatae usum *necessarium* manare evici. Itaque, quum et justitiam et necessitatem poenarum capitis, ut opinor, probaverim, dubium esse non potest, quin eos, qui omnia supplicia abroganda censeant, nimio quodam humanitatis et lenitatis studio ductos erravisse contendam. Causa, cur erraverint, in promtu est. Etenim, quum ex antiquo nostro jure permulta delicta eaque levioris generis morte punienda esse intelligerent, quumque harum legum nondum abrogatarum, quia cum recentiori in judicando usu et consuetudine jam dudum certabant, delectus et recensio institui coeptum esset, factum est, ut illi quidem praeter modum, quemadmodum in indagandis constituendisque novis veritatibus accidere solet, antiqua contemnentes cum pravis bona, cum inutilibus utilia, cum stolidis sapientia respuerent atque removerent. Nec tamen, quemadmodum illorum conamina in bonitatis humanitatisque studio idoneam habent excusationem, sic eadem omni et in vitam et in disciplinam vi fructuque carent. Concedendum enim est, leges, quae exstant, criminales pro nostris temporibus multas in partes crudeliores esse, quam quae cum approbatione plausuque excipi possint, et sperandum fore, ut iteratis illis et accuratioribus disquisitionibus adjuti principes rerumque publicarum gubernatores legibus quoque, sicut jam usu judiciali venit, rariores capitis poenas irrogari jubeant. Quod quin mox futurum sit, ego jam propterea nullus dubitare possum, quia, quod communi societatis humanae usu vitaque sancitum est, hoc cum in scientias tum in institutiones publicas serius ocius vim suam habiturum persuasum mihi est. Nec spes mea me fallet: nam etiamnunc hic et illic viros jam nonnullos juris scientiae peritissimos novum legum criminalium codicem formare jussos esse nuperrime accepimus. Leges mitiores lenioresque dabuntur paucisque annis prae-

terlapsis tempus veniet, quo hae quoque iterum abrogandae erunt atque etiam rarius poenae capitis imponi jubebuntur. Nam quo firmior erit et validior civitas, eo rariores erunt hae poenae; civitas eo magis auctoritate opibusque pollebit, quo meliores homines verique appetentiores: et quis Christianus tale quid non de aevo futuro exspectet? Si igitur supplicia capitis in dies rarius imponenda erunt: num tempus cogitari potest, quo plane nullis amplius opus erit? Minime; nisi forte mortem summam poenam habere omnes desierint: quo facto non amplius civitas, quam nunc intelligimus, sed potius regnum divinum, cujus est mortis aculeum terroremque vincere, in hac terra existere incipiet.

Corrigenda:

p. 4. l. 16. pro »*Mosdicas*« lege »*Mosaicas*«
— 5. l. 3. pro »*Quorum*« lege »*Quarum*«
— 12. l. 17. pro »*exdei*« lege »*ex dei*«
— 22. l. 37. pro »*Ἑστώμενοι*« lege »*Ἑστιώμενοι*«
— 27. l. 15. pro »*conjiceret. Quae responsio*« lege »*conjiceret: quae responsio*«
— 32. l. 7. pro »*domino*« lege »*marito*«

IMPRESSIT FRIDERICUS ERNESTUS HUTH, TYPOGR. ACADEM.